


Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

IV 10698



FLORÆ AUSTRIACÆ

VOLUMEN PRIMUM,

C O N T I N E N S

ICONUM

C E N T U R I A M P R I M A M.

FLORAE AUSTRIACAE

VOLUMEN PRIMUM

CONTINENS

ICONUM

CEMENTUM PRIMUM


FLORÆ AUSTRIACÆ,
SIVE
PLANTARUM SELECTARUM
IN
AUSTRIÆ ARCHIDUCATU
SPONTE CRESCENTIUM,
ICONES,
AD VIVUM COLORATÆ, ET DESCRIPTIONIBUS,
AC
SYNONYMIS ILLUSTRATÆ.
VOL. I.
OPERA ET SUMPTIBUS
NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
TYPIS LEOPOLDI JOANNIS KALIWODA,
AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXXIII.

Tabula tituli exhibet prospectum ex monte subalpino Gans in loco, ubi sunt ædes venatoriæ Illustr. Comitis de Hoyos, super cacumina montium interjacentium versus planitiem Neostadiensem *a*; & hinc ad lavam versus verticem alpis Schneeberg *b*.





P R Æ F A T I O



ac nostra tandem ætate Res Herbaria, scientia vaga objectorumque multiplicitate memoriæ humanæ transiliens fere metam, nacta est certitudinis gradum, qui tanto videbatur posse sperari minus, quanto solebant frequentius novi errores novaque dubia succedere dispulsis antiquis. Si animo reputare lubet Botanicae pertractandæ adbibitas tot tamque varias normas, perlustrare factos in dissitissimis mundi regionibus ingentes ejusdem continuatosque progressus, ipsamque adeo considerare auctorum multitudinem incredibilem; observantibus tunc simul, scientiam banc quam sæpissime versari, imo veluti absolvi, cum in distinctione & descriptione rerum vel maxime similium, tum in citatione scriptorum, qui de ipsis his rebus egisse creduntur, causa errorum haud poterit latere diu. Nihil quidem ego propterea detrabo bonis plantarum descriptionibus, nihil etiam synonymiæ prudenter selectæ, quas certe ambas ad cognitionem stirpium legitimam acquirendam uti arbitror conferre semper quam plurimum, ita sæpe esse plane necessarias, habeo persuasissimum. Sed hoc volui, solas illas, quandoquidem liquet fefellisse non raro, fallere omnino posse. Scilicet per verba non eodem omnes modo ea, quæ oculis percipimus, exponere solemus; nec magis alii ex nostris rerum conspectarum enarrationibus nostro ubique afficiuntur modo, speciesque semper sibi formant easdem. Tum etiam vegetabilium externam illam compagem, sive ambitum & staturam, (habitus vocamus,) quam tam vivide quam vere exprimit pictoris perita manus, rarissime Naturæ indagator explicatione sua assequitur; ut, dum hic significantius aliquid dicere satagit, ad comparisonem cum rebus jam vulgo notis instituendam confugere cogatur. Si igitur, (quod fingere mihi liceat,) nulla unquam, citanda Botanica, extitisset plantæ ullius delineatio, quam nunc foret manca, quamque arctis circumscripta limitibus cognitio nostra regni vegetabilis? sed ponamus ex adverso, cunctarum in hunc usque diem detectarum stirpium figuras a nobis possideri optimas, easque imprimis coloratas, nunquid brevi omnes cessarent Botanicae lites, & certitudo sic exurgeret maxima, alia methodo nec facile speranda, nec forte obtinenda? Hæsitanti ex consulta descriptione Botanico offeratur idonea plantæ icon, evanescet ocyus molesta dubitatio, & erroris periculum cujuscunque longe fugabitur. Sic pari passu datisque in communem finem dextris & pictor & scriptor Rem Herbariam promovent; quæ itaque, (ut nunc concludam, quorsum sermonem hunc direxi omnem,) jure merito referre acceptam iconismo debet evidentia suæ & perfectionis majorem partem.

Et hinc nihil unquam poterat ad absolvendam scientiam nostram excogitari magis accommodatum, quam eximium atque illustre illud institutum, quo ab aliquot jam annis sub potentissimorum Daniæ Regum auspiciis, vegetabilium omnium, in regnis Daniæ sponte crescentium, figuras nitidissimas a celeberrimo OEdero in



publicam emitti lucem latè videmus. Hoc Regio, apud posteros nunquam interituro, beneficio spes nunc affulget optima, fore post paucos elabendos annos, ut in Danicæ regnis scientia barbarum patria ex dubia difficili & longa evadat certa facilis & brevissima. Sed, quod novum idemque summum instituto pretium addit, nec una Dania totam hanc proprii operis utilitatem absorbebit; quin fundamentum hic habituri Botanici sint, cui superstruere singuli suam, cuncti Europæ totius possint Floram completissimam. Suam unaquæque regio symbolam conferat, addatque plantas, quæ desunt in prioribus; sic tandem aliquando nascentur in singulis stirpibus Europæis certitudo ac evidentia, quas cæteroquin, cunctis nostris Systematibus suffulti, frustra semper desiderabimus.

Primam itaque ego, qui non invenerim, qui in se susciperet operis carissimæ editionem, propriis sumptibus Floræ Danicæ offero Austriæ symbolam, referatam elegantissimis rarissimisque plantis, quas plures, culturam respicientes omnem, extra natale solum spectare vivas Botanicis non datur, nec datur sæpe in hoc ipso sine improbis laboribus aut etiam sanitatis periculo. Plantæ fortasse trecentæ hanc Austriæ Floram absolvent, si incepto meo faverint barbarum amatores. Sin minus, primus hic fasciculus etiam ultimus esto. Nuperrime tamen ad pergendum impensius excitatus fui clarissimi eruditissimique viri De Saussure genevensis professoris epistola, ex qua summa cum animi voluptate intellexi, cogitare illum de altera conferenda symbola Helvetica; in qua quanta expectari possint, docet insigne Halleri opus.

Tum etiam hanc Floram ita institui, ut socia atque par ire Horto meo Botanico Vindobonensi, & utrumque sic opus unius adinstar, cui luberet, esse posset. Propterea quoque servavi chartæ litterarumque similitudinem. Hortus meras sistit ratione Austriæ exoticas stirpes, hospites suas. In Flora solæ continebuntur plantæ, in Austriæ Archiducatu sponte provenientes, veræ cives, nec simul in Dania reperiundæ. Umbelliferas tamen hic excipio, quarum repetendarum causam indicabo. Familiæ hujus vastæ & difficillimæ infirma in hunc usque diem mansit cognitio, ut, qui magis has sibi stirpes perspectas habuerint, næ senserint illi, quo emerint labore. Austria umbelliferarum ferax est; nec alit pauciores exoticas hortus. Siccas, ut distinguere valeam, possideo descriptas ab autoribus plerasque alias. Ergo animum subiit labor haud mihi visus inutilis, cum in Horto, tum in Flora, plurimarum illarum figuras edere tales, quibus prompta unicuique evadat earundem certa que agnitio. Chartæ quoque volumen meæ magis conducit ad harum stirpium delineationem; quæ scilicet in angustam effigiem nimio opere contractæ, utut vere eleganterque exhibitæ, non omnibus tamen sese oculis desiderata cum evidentia offerunt. Quibus itaque in plantis pingendis nec curis nec sumptibus me pepercisse, facile intelligent æqui rerum æstimatores. Interea nec de reliquis stirpibus fidem certam do, Danicam in Flora nostra omnino non fore ullam; dandam vero præstabo, simul ac Floræ Danicæ index, a clarissimo OEdero promissus, venerit in nostras manus, eo usque, prouti potero, repetitionem evitaturus.

In plantarum synonyma sedulus inquisivi. Excepto Caspares Baubino, meum nomenclatorem aut synonymistam raro citavi. Nunquam autem omisi alios Austriacæ vel vicinæ Floræ autores, ut, ubicunque bos silentio præteream, judicasse existimer, apud eosdem plantam non extare. Si qua meam inter datamque ab aliis synonymiam differentia est, contentiosis animadversionibus opinionem meam non tuitus sum, quam dijudicandam lectori relinquo. Linneæanum nomen, celeberrimum hunc virum in hisce sequi solitus, anteposui reliquis; dein illos laudavi autores, qui usi eodem generico nomine fuerunt. Trivialia sic dicta epitheta, (quæ utinam firmo stent semper pede!) prætuli aliis, quod memoriæ facilius im-
pri-



primantur, inhaereantque diutius. Determinationum sive definitionum, alibi utilissimarum, mutabilem fluxamque turbam hic neglexi, ad quas tamen veniendum invito fuit in citatione autorum, qui trivialibus titulis abstinerunt. Nemo autem hoc laesum se ordine putet, quem non raro contra propriam aestimationem instruxi ad legem praescriptam. Nec magis ullum nomen facio meum, nec indita stirpibus novis propria obtrudo aliis. Qua quidem in re indulgentius, etiam indoctius, egisse videbor forte non paucis, qui, quod nomina vel ipsi repugnantia characteri a me dato retinuerim, id culpabunt quam maxime, umbelliferas adducturi in manifestum argumentum. At enim ego, (ut in uno umbelliferarum maneamus exemplo, ad ceteras vegetabilium classes applicando,) non intelligo, cur in hac familia seminibus, si placeat, solis plus tribuere deberem, quam involucris, petalorum figurae, aliisque partibus? Nec magis etiam intelligo, cur bis ex adverso plus quam seminibus? Objicient profecto qualescunque haec partes, si ab aliquibus hisce petitur solis generum constitutio, evidentiae & certitudini obices insuperabiles. In seminibus, ut multas taceam partes alias, sola Hasselquistia, tordyli heraclei & fere dixerim coriandri distinctos tres fructus una gerens, id nos docet abunde. Aliter certe fieri non poterat; nam quae in natura plume non dantur, frustra in hac genera quaerimus, & usque frustra quaeremus. Illa per meras species, millenis relationum modis sibi mutuo intertextas, pergit; non serie simplice illa, quam sequi cogimur in systematibus nostris, sed ordine multiplici & valde composito, ut planta una cum plurimis aliis diversissimis, diverso quidem respectu, vinculo tamen haud minus arcto, cohaereat: quem quidem ordinem, vel potius ordinis universi relationes innumerabiles, solum genuinum naturae systema, in tabellas conjicere homini non est datum. Quo nunc plures nobis cognitae plantae sunt, multiplice ista relatione evidentius propiusque concatenatae, eo species quidem agnoscimus plures; sed eo a nobis genera recedunt longius, disparent tandem. Atque hoc in umbelliferis, quarum longe maximam partem Europa nunc possidet, experimur invito. Experiremur, ni fallor, in familiis omnibus, si omnia universi vegetabilia aequae perspecta haberemus. Quo classes amplius extendemus, & quo genera constringemus magis, eo propius ad naturam accedemus; quare, si genus conficeretur, quod intrarent, ceu species, umbelliferae plantae omnes, naturae minus adversaremur, & qualiscunque tunc desineret de earundem generibus hodiernis vana disceptatio. Sed iterum, quae duceret hoc, quae clauderet planta umbelliferum agmen? At vero haec sunt minus huiusce loci, quae propterea leviter tangere volui, ut pateat ratio istius indiligentiae meae in corrigendis nominibus genericis in opere non systematico.

Descriptionem, ante jam sive ab ipso me sive ab alio autore traditam, hic repetendam duxi, eamque emendatam, ubi erat opus, ut ne ulla careret icon legitima explicatione. In his forte sicubi nimius videar, faciet lector prolixitati meae gratiam, tediumque hoc suum, damno emptum meo, benevole excusabit. In describendis stirpibus, nulla motus auctoritate, quae vidi, saepiusque vidi, enarro. Hic, quantum potui, mea contuli cum observatis alienis, & repugnantia notavi studiosius. Comparatio ista docebit, quandoquidem rarissime ipsum induco autorem a me dissentientem. Ipse si quando erraverim, erroribus objectis nec quaesivi, nec quaeram effugium, & hos & alios candide correcturus. Nunquam vero de me tam humiliter sentiam, ut illiberalibus cavillationibus, quas aut solet mordax dictare invidia, aut emittere animi intemperantis impetus ignobilis, utut posset esse vindicta facilis, respondeam lacesitus.


Floris fructusque characterem examinaui ad Generum Linnaeanorum editionem sextam, ita quidem, ut passim momenta indicaverim discrepantia; quae autem sicco transferim pede, haec congrua a me inventa credi possint. Partes fru-



etificationis minutiores, quas nosse distinctius intererat, in tabulae margine seorsim exhibitæ sunt, sæpe etiam ad microscopium auctæ. Consilio celeberrimi Linnæi semina umbelliferarum transversim etiam dissecta pleraque proposui. Villositas haud facile perceptibilis omittitur non raro in delineatione, quum hæc soleat sculpta reddi supra verum notabilior. Systematis Linnæani editionem Holmensem citavi duodecimam. Ad exemplaria sylvestria omnes plantæ sunt depictæ, nisi contrarium præcise moneam. In concinnandis autem figuris summa ubique locata opera fuit, ut fierent quam exactissimæ, nec ultra naturam elegantes. Magnitudo semper naturalis est, & aut stirps proponitur tota, aut vero maximarum plantarum pars sistitur tanta, qua iudicium ferri promptissimum de integra queat. Stirpes alpinæ præprimis cordi fuerunt, quas pictor egregius, mihi in itineribus alpibus comes, ipsis in alpibus fere omnes pinxit. Et hic quidem singulares publicasque agere grates debeo viro illustrissimo ac generosissimo, Ernesto Comiti de Hoyos, Domino in Horn, Froschdorf, aliisque locis, alpium Schneebergensium possessori, qui pro insigni benevolentia sua atque humanitate omnia illa mihi sociisque commoda cumulate semper cum exhibuit ipse, tum exhibenda per suos curavit, quæ poterat loci ingrata ferre conditio: quæ quidem res quantopere favere valeat Botanico scopo, noverunt illi, qui alpes adscenderunt. Et viri etiam meminisse hic omnino me decet, in Re Herbaria versatissimi, amplissimi Francisci de Mygind, Consilarii aulici, cujus sincera amicitia & iudicium exquisitum operi huic perficiendo haud mediocrem attulere opem.

Prima hæc centuria poterit constituere volumen primum; altera post annum forte proditura secundum; reliquæ icones tertium. Scribebam Vindobonæ
16. Februarii 1773.





FLORÆ AUSTRIACÆ ICONES ET DESCRIPTIONES.

TABULA PRIMA.

IRIS PUMILA. *Linn. syst. pag. 77. Gerard. prov. 144.*

Chamæiris latifolia minor. Clus. hist. 225.



Mense Aprili floret elegans hæc plantula, in collibus apricis maxima sæpe copia crescens. Radix extus fuscescens, intus alba, nodosa est, & fibrillis aucta pallidis. Folia sunt ensiformia & acuta, flore nunc paulo breviora, nunc longiora. Caulis brevissimus, sæpe vix uncialis, florem sustinet singularem. Hujus germen oblongum, obtuse & obsolete trigonum, pollicare, binisque spathis inclusum, abit in corollæ tubum tenuem duas tresve uncias longum. Petala omnia ferme integra sunt, cærulea purpureave, coloris valde variantis, ita ut nec idem flos eandem saturationem diu servet, sed ex cæruleo paulatim magis magisque vergat in rubentem. Barbæ exteriores cæruleæ, interiores albæ sunt cum apicibus luteis. Antheræ cærulescunt. Stigmata profunde bifida & acuminata sunt corollæ ut plurimum concoloria. Variat etiam flos colore albo, pallido, aut flavescente. Hinc, uti jam monuit Clusius, in floribus est summa varietas. Fructus in hac Iride rari observantur, qui sunt ovati, obtuse trigoni, pollicares, & femina continent rugosa, angulata, & ex flavo ferruginea. In Horti Eystettenensis tabulis prima & secunda vernalium ordinis octavi plures hujus Iridis varietates exhibentur.

TABULA SECUNDA.

IRIS GRAMINEA. *Linn. syst. pag. 78. Scop. carn. 1. p. 38. Baub. hist. 2. pag. 727.*

Iris angustifolia sexta. Clus. hist. 230.

Iris angustifolia, prunum redolens, minor. Baub. pin. 33.

Chamæxyris angustifolia. Lob. ic. 69.



Ex radice nodosa, terete, extus nigra, intus albicante, fibrisque donata longis & pal-
lidis, caules assurgunt palmares vel sesquipedales, ancipites, foliorum ex angusto en-
siformium acuminatorumque vaginis ferme toti inclusi, foliis ipsis semper duplo breviores,
terminati spatha viridi tumente & ut plurimum biflora. Pedunculi teretes suffulciunt flo-
res odoris suavis, quem optime Clusius comparavit cum prunis. Germen per sex sulcos
profunde exaratos hexagonum est. Florem color elegans & multiplex spectabilem reddit,
qui in marcescente ex fusco totus flavescit. Petalorum reflexorum inferior atque interior
dimidia pars, stigmatis laciniae, & filamenta, colore primario gaudent purpureo. Eorun-
dem petalorum pars vero exterior albida venis caeruleis variegatur. Petala erecta cum exi-
gua emarginatione obtusissima concavaque colorem habent violaceum. Antherarum pol-
len aurantiacum est. Unguium petalorum connexorum viridis infima pars, qua germi-
ni insiguntur, in reflexis simpliciter attenuatur; in erectis autem in subrotundam ampliatur
faciem, ex qua, non ex illa reflexorum, transudat copiosus liquor aqueus spissior dulcissi-
mus, guttularum forma adhærens. Fructus est ex subrotundo ovatus, obtusus, valde
profunde sexsulcatus, dumtaxat in uno alterove loculamento semen fovens solitarium aut
omnino illa pauca, hinc ovatum vel subrotundum, nec compressum a vicinis, quæ abor-
tare solent. In pratis udis crescit ad montium radices; ubi floret Majo, semina Julio
dans matura.

TABULA TERTIA.

IRIS SIBIRICA. *Linn. syst. pag. 78.*

Iris foliis linearibus; caule subnudo; petalis reflexis imberbibus, venosis, tubarum
arcu acuminato. *Hall. hist. helv. num. 1259.*

Iris angustifolia secunda. *Clus. hist. 228.*

Iris tenuifolia major, flore caeruleo & striato, angustifolia secunda. *Bauh. hist. 2.
pag. 727.*

Ex radice brevi, cespitosa fibrillasque longas intertextas emittente plurimas exoriuntur
caules tripedales, teretes, tenues, versus extremitatem ramulo saepe aucti, & foliis
altiores linearibus & acuminatis. Flores suave olent, suntque coloris ex purpureo caru-
lei, ita ut petalorum reflexorum admodum venosorum lati ungues fuscescant, inde ipsa
transversim albescant, summa pars ferme cyanea sit. Petala erecta sunt integra. Stigma-
tum laciniae sunt ferratae. Germen breve & obtuse trigonum. Antherarum pollen albe-
scit. Fructus sequitur ovatus & obtuse trigonus. Semina sunt numerosa, compressa &
inaequalia. Spathae membranaceae & siccae fuscescunt. Florere incipit sub finem Maji.
Fructum perficit sub finem Julii. Crescit ad pratorum udorum margines.

TABULA QUARTA.

IRIS SPURIA. *Linn. syst. pag. 78.*

Iris angustifolia prima. *Clus. hist. 228.*

Iris pratensis angustifolia, folio foetido. *Bauh. pin. 32.*

Iris foliis angustis prima Clusii. *Besl. eyf. æst. O. 3. f. 4. f. 3.*

Radix nigricans similis est Iridi gramineæ. Caulis teres cum levissima compressione,
aut parum flexuosus, aut omnino rectus, duos tresve pedes altus, foliis superemi-
net. Hæc ex ensiformi linearia sunt, tritaque foetidum odorem spirant, nec tamen vehe-
mentem. Caulem flores terminant plerumque gemini, breviter pedunculati, propriisque
spa-



spathis circumdati. Loco demissiori ex eodem caule serius flos unus alterve prodit alius. Expanfi flores eodem versus spectant, leviterque inclinantur, aut stant in aliis individuís erecti, cujusmodi exhibentur a Clusio. Odore carent omni. Color in omnibus partibus satis est consimilis, ex purpureo cæruleus. Reflexorum petalorum tamen pars, qua succumbunt stigmati, striatim magis rubet. Atque hæc lanceolata est, ex colloque angustato tunc demum in bracteam latam extenditur. Petala erecta sunt plana, & ut plurimum integerrima, rarius incisura laterali profundiore secta. Antherarum pollen est aurantiacum. Germen oblongum basique hexagonum; cum sulcis alternis angustioribus minusque profundis. Capsula oblonga, acuminata, sexangularis, lateribus alternis triplo latioribus, trivalvis & trilocularis includit semina numerosa, fusca & angulata, quæ vestiuntur membrana albicante partim adhærente rugosaque, partim libera & tumente. Semina maturescunt sub finem Augusti. Incolit prata uda. Exhibetur etiam caulis fructigeri pars superior cum diversis seminibus.

TABULA QUINTA.

IRIS VARIEGATA. *Linn. syst. pag. 77.*

Iris major latifolia decima quinta. *Clus. hist. 221.*

Iris latifolia pannonica, colore multiplici. *Baub. pin. 31.*

Iris lutea variegata. *Ebr. pict. tab. 10. fig. 3.*

Pratenfibus ficcioribus in locis crescit hæc planta elegans, pedalis aut etiam bipedalis, a medio Majo florens ad medium Junium, dum Julio perficit semen. Radix nodosa, ferme inodora, intus albicat, foris fusca aut flavescent, initio insipida, linguæ tamen postea aliquem ardoris sensum imprimens. Caulis est leviter compressus, parum flexuosus, foliosus, multiflorus, foliisque altior. Hæc ensiformia, pallide virentia, & plerumque extrorsum recurvata, fulcantur rugis longitudinalibus. Flores subodorati sunt toti lutei, ita tamen ut petalorum reflexorum, quæ venæ atropurpureæ eleganter pererrant, pars extima magis albescat. Punctis etiam aut striis interruptis atropurpureis asperguntur erectorum bases. Barbulae luteæ sunt, extimæ magis albicantes. Pollen albescit. Germen hexagonum angulos habet alternos obsoletos. Fructus ex ovato oblongus, acutus, ex flavo dilute fuscus, multumque dehiscens, semina continet plura fusca & angulata. Ille in margine exhibetur.

TABULA SEXTA.

ANASTATICA SYRIACA. *Linn. syst. pag. 432. mant. pag. 424.*

Anastatica hierachuntica. *Crantz. fasc. pag. 7.*

Anastatica, quæ Myagrum ex Sumatra & Syria; semine spinoso, simili capiti aviculæ. *Gron. fl. or. pag. 78.*

Myagrum de Sumatra. *Zan. pag. 168. tab. 126.*

Myagrum rostratum. *Scop. carn. 2. pag. 11. tab. 35.*

Rosa Hierichuntica alia. *Camer. hort. pag. 147. tab. 42.*

Rosa Hiericonthea sylvestris. *Baub. pin. 484.*

Thlaspi fruticosum Moravicum, affine Thlaspi de Hierico sylvestri. *Bocc. mus. pag. 135. tab. 98.*

Radix annua est, & fibrosa. Caulis leviter hirsutus scaberque in plurimos abit ramos. Folia sunt lanceolata, obtusiuscula, subaspera, dentata vel integerrima, ac petiolata. Fructus locantur in spicis elongatis rarisque; tum etiam in axillis foliorum ipsisque



in ramis. Flores paucissimi & sessiles terminant spicas. Sunt hi omnino exigui, ut oculo nudo ægre examinari queant. Calycis foliola quatuor hirsutula ex viridi purpurascunt. Petala alba & obverse lanceolata valde patent. Filamenta albida gerunt antheras sulphureas. Stigma est bifidum & patulum. Silicula subrotunda dura & aspera in duo loculamenta dividitur. Valvulae subrotundae, uti quidem fit hoc in *Anastatica hierichuntica*, facili vi in hac non avelluntur, sed cum dissepimento firmiter concresecunt, hinc non dehiscunt; dissepimentum vero ipsum ab it in mucronem subulatum versus anteriora inclinatum. Semina sunt solitaria, rarius bina in quolibet loculamento. Multoties auctus flos integer ad latus sistitur. Tum in dupla circiter magnitudine silicula valvulas scalpello a dissepimento separatas deflexasque gerens; dissepimentum solum; & semen. Crescit in foveis ficcis ad aggeres, inque vicinis, non tantum in Austria, sed in adjacentibus plerisque provinciis. Floret Majo & Junio.

TABULA SEPTIMA.

LYTHRUM VIRGATUM. *Linn. syst. pag. 328. Jacq. enum. 243.*

Lythymachia purpurea secunda sive minor. Clus. hist. LI.

Lythymachia rubra non filiquosa. Bqub. pin. 246.

Salicaria orientalis, salicis folio acutissimo & glabro. Tourn. cor. 18.

Salicaria glabra ramosissima, longissimis & angustissimis foliis. Amm. ruth. pag. 69. num. 89.

Salicaria glabra, longioribus & angustioribus foliis. Amm. ruth. pag. 69. num. 88.

Tota planta nitidissima est. Ex radice lignosa & perenni caules elevantur annui, recti, bipedales & firmi; inferne teretes, sublignosi, dilute fuscescentes, foliis delapsis tandem nudati; superne tetragoni, dilute virentes & foliosi; in culta planta valde numerosi & altiores. Rami axillares erecti & virgati in frutescente planta admodum elongantur. Folia mansa os glutine opplent; suntque ex angusto lanceolata, acuminata, integerrima, subsessilia, duos tresve pollices longa, nitida; rameis superioribus alternantibus exceptis, opposita reliqua omnia, ita tamen, ut interdum altero alterum pauxillo altius locetur. Flores inodori & brevissime pedunculati plerumque terni singulis in foliorum alis ponuntur, spicamque formant raram foliosam & virgatam. Calyx ex viridi purpureascit. Corolla cum saturata purpura rubet. Ejusdem coloris sunt filamenta longiora, antheris donata fuscis. Breviora albescunt cum antheris flavis. Capsula oblonga, & calyce, cui includitur, paulo brevior, semina continet numerosa oblonga & parva. In Danubii insulis floret Junio & Julio. Augusto fert semina.

TABULA OCTAVA.

SEDUM ATRATUM. *Linn. syst. pag. 317.*

Sedum hæmatodes. Scop. carn. 1. pag. 323.

Sedum caule folioso, erecto, umbellato, humillimo, foliis teretibus. Hall. hist. belv. num. 963.

Sedum saxatile, atrorubentibus floribus. Baub. pin. 283. prodr. 132.

Sedum saxatile, variegato flore. Baub. pin. 283. prodr. 132.

Sedum minimum montanum, flore purpurascente parvo, semine stellato. Scheuchz. it. 6. pag. 518.

Annua plantula, ab unica ad quatuor uncias longa, radici insistit fibrosa, qua alpium faxis innascitur, florens ibidem Junio, semina perficiens Augusto. Nunc tota quanta, imprimis senescens, ex atro rubet; nunc ex adverso pallide viret; aut iterum mix-



mixto colore tingitur. Caules sunt plures & simplices, vel caulibus similes rami de caulis parte infima exeunt; omnes simul pro vario plantæ volumine magis minusve inversam pyramidem referentes; glabri toti, crassi, teretes & erecti. Folia alternante atque inordinato situ cauliculos dense vestiunt, sessilia, oblonga, obtusissima, carnosæ, crassæ, dorso teretiuscula, antice compressa vel concava, superne latefcentia. Flores pedunculorum propriorum ope in axillis foliorum solitarii, in extremitate caulium plus minus umbellati, locantur, erecti, corolla donati aut pallide virente, aut subrubella, cujus petalum cum in naturali, tum in aucta magnitudine adstat.

TABULA NONA.

PRENANTHES VIMINEA. *Lin. syst. pag. 521.*

Chondrilla saxatilis viscosa, caule cnemidophoro. *Col. ecphr. 1. p. 238. t. 240.*

Chondrilla viscosa, caule foliis obducto. *Bauh. pin. 130.*

Chondrilla viminea viscosa. *Lob. adv. 85.*

Lactuca viscosa, caule foliis obducto. *Tourn. inst. 472.*

Radix tenuis, fusiformis, albicans, simplicissima vel parum ramosa, semipedalis vel pedalis, primo anno folia sola profert radicalia, proximo caulem, & post maturos fructus perit. Planta lactescit, & glabra est. Folia sunt pinnatifide laciniata, pallide virentia, radicalia & inferiora pilis raris subtus adspersa, caulina sæpe verticaliter sita; laciniis acutis, subdentatis, nunc angustissimis, nunc latis, unam duas vel tres uncias longis, & omnino multum variantibus. Folia summa sunt integerrima, & parva. Caulina autem & ramea pleraque basi utrinque appendiculam demittunt oblongam cauli adnatam, singulare spectaculum in caule nitido & albente exhibentem. Flores totos ramos obsident, subsessiles. Calycis cylindræci & cum purpura suffusa glauci foliola sunt ex oblongo lanceolata, acuminata, circiter decem, imbricata, exteriora breviora. Flosculi sunt quinque, flavescentes, extus interdum purpurascens. Semina sunt atra, ex angusto lanceolata, glabra, paulatim desinentia in stipitem capillarem, coronatum pappo piloso. Crescit in locis asperis. Floret Julio. Sub finem Augusti maturescunt semina.

TABULA DECIMA.

ALLIUM MULTIBULBOSUM.

Summa cum incertitudine elegans hoc Allium stirpibus vere Austriacis adnumero. Jam ante plurimos annos in monte cætio extra claustrum muros haud semel inveneram, atque nunc iterum paucis in suburbiorum locis, cum cultum in hortis sub titulo Bergzwiebel, sive Allii montani, tum in eorundem vicinia, vidi. Inter Linnæana Allia non reperio, nec inter sua videtur Hallerus habere. Tota planta odorem generis vix possidet, sapore tamen ejus aliquo prædita. Bulbus solidus, albidus, cumque mediocri depreffione subrotundus, circumdatur numerosis bulbillis, qui a matre per fila tenuia facileque & ultro abrumpenda pendent, membranarumque tenuissimarum ope partim cum eadem coherent. Hac sobole separata omni, ad duplum diminuitur bulbi volumen, manetque ille tunc inæqualis a foveis per bulbillos impressis. Folia sunt radicalia omnia, pedalia aut sesquipedalia, fescunciam tresve etiam uncias lata, plana, striata, acuta, ex lato ensiformia. Scapus bipedalis & teres erigitur, in umbellam terminatus densam, leviter convexam, diametri trium quatuorve pollicum. Petala albescunt cum linea dorsali virente, suntque ovælia, obtusa, & alterna magis concava. Filamenta alba & petalis breviora ba-



fibus suis circa germen in unum sunt corpus coalita, hinc subulata fereque æqualia inter se assurgunt, antheris coronata oblongis æqualibus & dilute sulphureis. Germen ex atro viret, stylo albo instructum filamentis breviori. Semina sunt angulata & atra. Floret Junio. Semina Augusto maturefcunt.

TABULA UNDECIMA.

ARABIS TURRITA. *Linn. syst. pag. 443. Scop. carn. 2. pag. 30.*

Arabis umbrosa. *Crantz. fasc. pag. 41.*

Turrita major. *Clus. hist. CXXVI.*

Braffica sylvestris, albido flore, nutante filiqua. *Bocc. mus. p. 81. t. 72. Barrel. ic. 353.*

Radix perennat, & sæpe caules plures profert. Folia sunt ex lanceolato oblonga, crassiuscula, subtomentosa, pallide virentia, inæqualiter dentata, ad oras subundulata, acuta, saporis mere herbacei, radicalia & caulina infima in longos petiolos angustata, caulina reliqua basi cordata & amplexicaulia. Caulis teres, vix angularis, subtomentosus, & plerumque simplex, floribus terminatur simul florentibus paucis, & successive elongatur in racemum fructigerum longum. Foliola calycis ex viridi pallent, basi modice prominula, alterna latiora, aut glaberrima aut rarius loco indeterminato pilis paucissimis instructa, sulco uno alterove transverso notata, hinc forte rugosa Linnæo dicta. Petala oblonga aut sunt albida, aut ochroleuca. Siliquæ fuscae, lineares, obtusæ, compresso-planæ, sæpe incurvatæ, longæ, & glabræ, ad idem latus deorsum maturæ flectuntur omnes. Semina sunt fusca, plana, margine membranaceo cincta, & emarginata. E femine nata altero ætatis anno florere incipit. Figura Turritæ majoris Plateæ optime exprimit cultam plantam, filiquas elongare incipientem. Ab Arabi alpina multum differt. Utrum vero ab Arabi pendula Linnæi vere distinguatur, doceat, qui utramque viderit. Crescit in rupestribus umbrosis, ubi flores primos expandit sub finem Aprilis. In margine etiam depinguntur caulis florere incipientis extremitas, flos separatus, ac semen.

TABULA DUODECIMA.

SEMPERVIVUM HIRTUM. *Linn. syst. pag. 335.*

Sedum majus montanum, foliis dentatis. *Bauh. pin. 283.*

Cotyledon altera secunda. *Clus. hist. LXIII.*

Planta hæc toto habitu convenit cum Sempervivo tectorum, & maxima sæpe copia crescit in montosis asperioribus locis. Folia sunt ex ovato lanceolata, acuta, carnosæ, ciliis albis rigidiusculis per totum ambitum ornata, caulina villosa, radicalia glabriora. Rosulæ numerosæ & adultæ patulæ ex alis foliorum propagines emittunt globosas, tenui filo adhærentes, eoque facillime ac veluti sponte rupto deciduas radicesque acturas. Caulis hirsutus, teres, foliisque tectus, erigitur, sex vel plures uncias altus, superne divisus in ramos paucos patentes. His erecti insident flores, omnes sursum spectantes, singuli suffulti pedunculo brevi atque egressi ad latus folii minoris. Characterem in illis perpetuo sequentem observavi. Calyx constat foliolis sexis, oblongis, acutiusculis, erectis, villosis, & crassis. Petala, quæ calycem superant ad duplum, numeravi etiam sex, ex lanceolato oblonga, acuta, erecta, ochroleuca, marginibus & dorso acute protuberante ciliata, ad apices patula. Stamina adsunt duodecim, petalis pauxillo breviora, subulata, erecta, pallida, antheris donata flavis. Inter filamenta & germen quodlibet adstat exiguum nectarii foliolum semibifidum. Germina sunt sex, vel rarius septem, villosa,

in-



inque totidem capsulas abitura. Radix simul cum caule suo perit. Floret a Julio ad Septembrim. Pro Sempervivo globifero antea hanc plantam habueram; dumque in Enumeratione stirpium agri Vindobonensis, scripturae vitio præproperæ, flores hexandri pro floribus hexaphyllis leguntur, confusio sic nata major fuit, quam, viso nunc Sempervivo globifero, facilius iterum tollo. Globiferum enim corollam habet calycemque duodenis foliolis constantem, germina similiter duodecim, stamina autem quatuor & viginti; unde quam maxime solo harum partium numero a Sempervivo hirtio distinguitur. In tabula exhibetur planta culta, quæ major esse solet, quam sylvestris. Eadem in margine altero necdum florens cum quibusdam propaginibus suis. Tum propago novella inhærens filo. In altero margine flos.

TABULA DECIMA TERTIA.

SOLDANELLA ALPINA. *Linn. syst. pag. 151. Scop. carn. 1. pag. 135. Cam. epit. 254. Moris. hist. 2. pag. 285. s. 3. t. 15. f. 8. & 9.*

Soldanella. *Hall. hist. helv. num. 634.*

Soldanella alpina major & minor. *Clus. hist. 308. & 309.*

Soldanella alpina rotundifolia. *Bauh. pin. 295.*

Soldanella alpina folio minus rotundo. *Bauh. pin. 296.*

Soldanella montana. *Lob. ic. 602.*

Radix perennis folia plura promit longis teretibusque petiolis infidentia, ex rotundo reniformia, firma, integerrima aut ad marginem obsolete crenata, nitida, facie saturate virentia, dorso dilutius. Scapus teres, glaber, aphyllus, erectus, a duabus ad sex uncias longus, basi purpurascens plerumque, ad apicem umbellatim sustinet pedunculos proprios unifloros, inæquales, ut plurimum binos vel ternos, rarius solitarium, totidem foliolis involucri oblongis obtusisque suffultos. Flores inodori nutant. Calyx profundissime ad basin fere usque dispescitur in quinque lacinias ex angusto lanceolatas, acutiusculas, erectas & persistentes. Petalum elegans & calyce triplo longior ex tubo pallente brevi basique rotundata abit in limbum, infundibuli, tubo carentis & valde ampliati, figuram præ se ferentem, ad medietatem ferme usque inæqualiter in numerosas lacinias lineares dissectum, ex cæruleo saturate purpurascentem vel contra eum purpura cæruleascentem; qui color valde in hoc flore variat, vel in album abiisse Clusio Scheuchzeroque visus. Filamenta quinque brevissima superiori parti tubi corollæ infiguntur, geruntque antheras sulphureas, erectas, polline fætas luteo, in conum conniventes, lanceolatas, filamentis ipsis longiores, desinentes in mucronem subulatum reflexum, interne longitudinaliter diffilientes, tunc ibidem biloculares. Germen subrotundum in fundo calycis intra petali tubum hæret. Stylus filiformis corollam æquat, stigmate præditus simplici. Capsula ex oblongo conica, striata, unilocularis & polysperma ore decemdentato hiat. Pedunculi in fructu eriguntur. Crescit in summis alpibus, ubi floret Junio & Julio. Culta in horto Majo, in hybernaculo asservata Martio. In margine etiam delineantur corolla discissa longitudinaliter & aperta cum staminibus inhærentibus, calyx cum pistillo, semina, & capsula.

TABULA DECIMA QUARTA.

LITHOSPERMUM PURPUREOCOERULEUM. *Linn. syst. pag. 145. Scop. carn. 1. pag. 123.*

Lithospermum caulibus decumbentibus radicatis; ramis floralibus erectis. *Hall. hist. helv. num. 596.*



Lithospermum repens majus. Clus. hist. CLXIII.

Lithospermum umbellatum latifolium & angustifolium. Bocc. rar. pag. 75. tab. 40. & 41.

Lithospermum minus repens latifolium. Baub. pin. 258.

*Anchusa repens Lithospermi facie, floribus cæruleis, secundum folia provenienti-
bus. Pluk. alm. 30. t. 76. f. 2.*

Tabula repræsentat caules duos, qui ex eadem radice nigricante lignosa & perenni plu-
res exeunt, alterum primos flores producentem, sterilem mansurum alterum. Hic
flores conspiciuntur veluti aggregati, qui in elongatis caulis divisi ramis postea distant ab
invicem, singuli brevissime pedunculati ad folii latus solitarii exorti, eodemque ut pluri-
mum spectantes. Caules sunt teretes & hispidi. Steriles primo erecti, tandem versus
terram inclinantur, etiam procumbunt, atque ad extremitatem subius radículas emittunt,
terram intrantes, quibus nova soboles generatur. Folia sunt ex oblongo lanceolata, acu-
minata, breviter petiolata aut sessilia, integra, pilosa, alterna, aspera, lateribus sæpe re-
voluta. Calycis ad basin usque dissecti laciniae sunt hispidae. Corollæ elegantis, inodo-
ræ, & calyce multo longioris tubus angulatus fordide albet, aut purpurascit. Limbus
patens cæruleum habet colorem, postea purpurascit. Faux per quinque gibbos introtru-
sos stella alba insignitur. Semina nitida, albida, unilocularia, duraque, vix unquam qua-
tuor ad maturitatem perveniunt. Crescit in sylvaticis & fruticosis. Floret Majo & Junii
initio. Ad latus petalum dissectum adpingitur.

TABULA DECIMA QUINTA.

PEUCEDANUM SILAUS. *Linn. syst. pag. 208.*

*Peucedanum foliis triplicato-pinnatis, pinnulis nervo distinctis lanceolatis, impari-
bus trilobatis. Hall. hist. belv. num. 797.*

Siler alterum pratense. Dod. pempt. 2. l. 5. c. 14.

Seseli selinoides. Jacq. enum. Vindob. pag. 227.

Seseli pratense. Riv. tab. 57. Crantz. fasc. pag. 209. tab. 6.

Seseli pratense Monspeliacum. Lob. ic. 738.

Seseli pratense, Silaus forte Plinii. Baub. pin. 162.

Seseli primum pratense. Moris. umb. pag. 17.

Tota planta glaberrima est. Radix perennis, crassa, profunde & recta descendens, va-
ginis villisque a foliorum præteritorum reliquiis coronatur, primo sætionis anno fo-
lia sola radicalia producens. Caulis unus alterve tripedalis ramique obsolete angulati ac
striati maximam partem virent. Folia multiplicato-pinnata odorem trita peculiarem spi-
rant, eumque satis fortem, & sapore gaudent ingrato & subacri. Petioli sunt subangu-
lati & striati. Pinnulæ ex angusto lanceolatae virent, mucronatae spinula albida exigua &
innocua, longitudinis valde diversæ, interdum breviores, quam in ipsa exhibentur figu-
ra, sæpe ex adverso duplo triplove longiores, magisque tunc extenso in folio locatae,
etiam sesquipedali, hinc magis distantes ab invicem, cujusmodi folii pars in margine sisti-
tur; cæterum pleræque opponuntur, & ultimæ ad basin confluunt. Vaginæ foliorum
ampliantur in membranam. Involucrum universale aut est nullum, aut foliolo absolvitur
lineari unico, similibusve paucis. Partiale vero constituitur ex pluribus, lanceolato-li-
nearibus & radios æquantibus. Umbella universalis valde inæqualis & rara habet umbellu-
las plus minus decem planiusculas. Petala aut pallide flavescentia aut albida & oblonga
apicem simpliciter inflectunt. Antheræ sunt sulphureæ. Semina ovata aut multo oblon-
giora fuscescunt, hinc plana, illinc convexa & quadrifurcata five tribus striis elevatis no-
ta-



tata, quas margines laterales haud excedunt, adeoque nec alata; odoris & saporis ferme expertia. Floret Junio & Julio. Semina largitur Augusto. Crescit in pratis. Conspicitur etiam in margine folium radicale minimis pinnulis donatum, & hinc ipsum circumscriptiois angustissimæ. In margine autem opposito folii pars radicalis maximi & amplissimi ex alio individuo. Deinde radius cum involucro partiali, & semen. Aucta tandem semen utrinque delineatum & flos. Icon citata Rivini mihi quidem videtur verius exprimere plantam sequentem, & vice versa; feminibus tamen exceptis, quæ singula titulis suis congruunt.

TABULA DECIMA SEXTA.

SELINUM CARVIFOLIA LINNÆI. *Linn. syst. pag. 207. Reyg. fl. german. 2. pag. 61.*

Selinum foliis triplicato-pinnatis, pinnis latiusculis, simplicibus & trifidis. *Hall. hist. helv. num. 802. tab. 20.*

Selinum caule alato, foliolis bifidis & trifidis. *Zinn. gatt. 221.*

Selinum palustre. *Crantz. fasc. pag. 172. tab. 4. fig. 1?*

Laserpitium selinoides. *Scop. carn. 1. pag. 198.*

Angelica tenuifolia. *Riv. pent. tab. 18.*

Tota planta nitida est. Nata e feminibus altero demum floret anno, & porro subsequis. Radix foris fusca, intus candida, crassitie digitum minimum raro superans, semipedalis, haud multi saporis aut odoris, fibras emittit paucas crassas & longas. Caulis fere semper unicus recta assurgit, bipedalis, medulla alba farctus, pallide virens, aut simplicissimus aut uno alterove ramulo instructus, rarius ramosior, teres, simulque membranis longitudinalibus tenuissimis, numero variis, magis albicantibus, ad lineæ latitudinem sæpe extantibus, ubique alatus. Hæ membranæ plerumque (nec semper) ad exortum radiorum umbellæ universalis, quandoque etiam ad principium petiolorum, cessant ex abrupto, unde pedunculum sub umbella fere crispatum Linnæus dixit. Cæterum nullius novi umbelliferæ caulem tam tenuibus fulcatum alis, ut hinc facillime dignoscatur. Folia sunt multiplicato-pinnata; petiolo communi striato, in radicalibus longo & antice fulcato; in caulinis dilatato quidem, at vix vaginante. Foliola ultima sunt ex oblongo elliptica, mucronata, apice albida, plana, quædam confluentia. Umbella universalis densa & parum convexa pro involucro habet foliolum unicum, rarissime plura, etiam omnino nullum. Partialis involucri foliola angusta numero variant a quinque ad decem. Petala oblonga, ob apicem acutum inflexum cordata, sibi fere æqualia omnia, albent utrinque aut cum suffuso subtus aliquo rubore. Stamina pallida corollam ad duplum superant. Flosculi fere omnes sunt fertiles. Seminum oblongi & fusci nuclei excurrunt in alam undique latam membranaceam magisque pallentem, & alias tres similes in dorso gerunt minutas. Floret Julio. Semina Septembri maturescunt. Crescit inter frutices demissos, super quibus umbellæ eminent; rarius procul ab illis. Culta multo ramosior evadit. Ad latus sistuntur radius cum involucro partiali, & semen utrinque visum; dein hujus aucti transversim discissa facies, auctusque flos.

TABULA DECIMA SEPTIMA.

LYCOPERDON CANCELLATUM.

Copiosissime hunc fungum in foliis hucusque pyri foliorum averfa parte, rarissime ipsis in petiolis, crescentem quotannis vidi in ipsa non minus urbe quam in pagis vicinis. Julio mense macula ex flavo aurantioque varia folium inficit, utrinque conspicienda. Au-



gusti initio in dorso folii ex disco dictæ maculæ elevari incipit ad lineæ plus minus crassitiem substantia carnosâ, intus albida, foris ferruginea, superficie in varios veluti colliculos distincta. Tunc ex fundo substantiæ per cujuslibet colliculi apicem penetrat conus, qui sensim magis magisque attollitur ad sesquilineæ altitudinem, tandem figuræ ovatæ vel ovalis, & constans meris cancellis pallidis tenuissimis superne in eundem solidum apicem confluentibus, intus hinc inanis. Eo etiam tempore colliculi extremitas, cancellis comprehensa, patet, fossæque in ipsa substantia latitantis introitum pandit, pulvere minutissimo ferrugineo refertæ, qualis in Lycoperdis esse solet. Lente diversimode aucti hi fungi in figuris ad latus adjectis, quarum altera abscissos in duobus fungis cancellos habet, modo narrata evidentiora reddunt. Synonymum hujus fungi non reperio.

TABULA DECIMA OCTAVA.

CARDUUS MOLLIS. *Linn. syst. pag. 529. amœn. acad. 4. pag. 328. Jacq. enum. Vind. pag. 276.*

Carduus mollior primus. *Chus. hist. CL.*

Carduus mollis, laciniato folio. *Bauh. pin. 377.*

Cirsium molle. *Scop. carn. 2. pag. 126.*

Tota planta moschum valide olet, eodemque odore inquinat manum contrectantis. Colles amat asperos tenuique gramine vestitos. Floret Majo & Junio. Radix teres, semipedalis vel longior, fibrillis aucta, rarius in crura divisa, extus fuscescens, intus albida, saporis amaricantis, & perennans, quotannis aut unicum caulem, aut biceps binos, rarissime plures profert, pedales aut tripedales, erectos, calamum crassos, aut virentes, aut purpurascens totos, striatos, villosos, medulla alba farctos, superne per pedalem sæpe longitudinem nudos, aut uno alterove dumtaxat minimo foliolo vestitos, apice florem semper unicum semperque erectum sustinentes, ex axillis foliorum inferiorum rarius auctos ramulo uno alterove similiter florifero, qui tunc altius tanquam caulis succedaneus elevari solet, quando verus caulis quocunque casu interiit. Folia sunt pinnatifida, ad costam fere usque dissecta, facie scabra & virentia, dorso incana, partim sessilia, partim decurrentia: laciniis oblongis, angustis, ad marginem undulatis & revolutis, inermibus, denticulatis vel integris. Folia in plantis nanis aliqua aut omnia plerumque sunt lanceolata & integerrima. Idem evenire solet in caulibus succedaneis, cujusmodi aliquem ad latus depingi curavi. Calyx basi valde planus & amplius ex squamis componitur numerosis lanceolatis, desinentibus in spinam innocuam, quarum exteriores quidem pallide virent, connectuntur ope villi arachnoidei, & reflectuntur extremitatibus suis ita, ut inferiores ultra calycis basin propendeant; interiores autem purpurascunt, nitent & eriguntur. Corollæ, antheræ & styli saturata purpura tinguntur. Pollen albet. Semina rugosa & angulata coronantur pappo obscure plumoso, & receptaculo piloso insident.

TABULA DECIMA NONA.

VIOLA MIRABILIS. *Linn. syst. pag. 585. it. æland. edit. germ. pag. 92.*

Viola montana latifolia, flores e radice, femina in cacumine ferens. *Dill. elth. 408. tab. 303. f. 390.*

Viola alpina, apetalos, foliis rigidis, rotundis, amplis. *Rupp. jen. 289.*

Radix fibrosa & perennis ætate multiceps evadit, plurimosque caules producit. Cæterum nec flagella emittere, nec repere videtur. Uti ex radice caules floriferi fructigerique, ita etiam una pedunculi uniflori & folia egrediuntur. Sunt hæc omnia ex sub-



rotundo cordata, baseos lobis magis conniventibus plerumque cucullata, leviter obtuseque ferrata. Petioli, pedunculi & caules sunt acute triangulati ac subvillosi. Foliorum paginae utrinque glabrae. Stipulae ad foliorum caulinorum exortum adstant lanceolatae, acutae & integrae. Hujusmodi minores etiam pedunculi habent. Flores vix odori sunt, nec omnes sibi similes. Radicales petalis gaudent, aut albidis aut ex purpureo caeruleis, quorum infimum purpureis semper insignitum striis vidi. At vero floribus caulinis petala adfunt nulla. Cum in his, tum in illis, inveni antheras polliniferas & germina rudimento feminum referta. Sunt tamen flores radicales petaloidei steriles omnes; apetaloides caulini ex adverso fertiles. In stylo discrimen constans animadverti. Fertilem stylus brevior versus germen circulari incurvatione redit. Sterilem stylus ad egressum de germine angustatus inflectitur, ut saepe emarcidus in inflexionis loco videatur. Inde adscendit, apiceque denuo incurvatur. Ex figuris microscopio auctorum germinum diversitas apparet. Summo folio flos fertilis incumbit. Rarius etiam petalis instructum florem fertilem caulinum vidi. Steriles florent solo initio Aprilis. Fertiles ab eodem tempore ad finem Maji usque. Junio dat matura semina, ovata, nitida & fuscescentia. Crescit in montibus sylvaticis.

TABULA VIGESIMA.

CYTISUS SUPINUS. *Linn. spec. pl. 6. β. pag. 1042. Scop. carn. 2. pag. 70.*

Crantz. fasc. pag. 398.

Cytisus septimus. Chus. hist. 96.

Cytisus quintus Causi putatus. Besl. hort. eyf. vern. arb. fol. 10. fig. 3.

Cytisus supinus, foliis incana lanugine inferne pubescentibus. Baub. pin. 390.

Planta haec frequens reperitur in Austriae & Hungariae conterminae gramineis montosis, cum asperis saxosis, & apricis, tum aliis. Caules procumbunt ferme toti, teretes, fusci, & parum divisi, qui in solo pinguiori inter gramina protenduntur longius, ad duos interdum pedes. Extremam partem dense obsident folia & flores, prodeuntque una ex gemmis patulis, quae formantur a foliolis aliquot floralibus sive bracteis subovatis simplicibusque. Caules longiores ad pedalem longitudinem saepe floribus decorantur. Ex quolibet gemma flores ut plurimum gemini prodeunt, etiam singulares, rarius terni aut plures, breviter pedunculati. Rami juniores, petioli, pedunculi, & folia imprimis subtus, vestiuntur villis mollibus & albicantibus, brevibus saepe & vix conspicuis. Calyx tubulosus, pallidus, & hirsutus, ore hiat bilabiato; labio inferiori integerrimo, superiore breviter bifido, ceterum longitudine aequalibus. Corollae luteae vexillum est subrotundum, amplum, emarginatum, alis longius, ungue canaliculato. Filamenta omnia coalescunt in unum corpus. Flores ante marcescentiam rufo tingi colore solent, erecti semper omnes caelumque spectantes. In legumine oblongo, valde compresso, fusco, recto & piloso continentur semina plura nitida & fusca. Floret Majo, etiam sub finem Aprilis, & Junio elabente semina perficit. Culta in horto pubescit multo magis; aetate fruticosior evadit, ramosissima diffusissimaque; truncos acquirit diametri sesquipollicaris ligneos; assurgit in fruticem altum quatuor, octo diametro pedes aequantem; cujus rami longi numerosi & patuli extrorsum recurvantur, floribusque erectis toti dense onerati elegans tunc temporis spectaculum praebent. Solet etiam sylvestris aequae ac culta per subsequam aetatem florem unum alterumve proferre. Inferne separatim exhibentur legumen, calyx, & semen.



TABULA VIGESIMA PRIMA.

CYTISUS AUSTRIACUS. *Linn. syst. pag. 489. Crantz. fasc. pag. 396.*

Cytisus floribus capitatis; foliolis ovato-oblongis; caule fruticoso. Mill. ic. t. 117. f. 2.

Cytisus quintus. Clus. hist. pag. 95.

Cytisus incanus folio oblongo austriacus. Baub. pin. 390.

Radix lignosa & perennis plures caules annuatim emittit semipedales aut sesquipedales teretes, incanos, suberectos, simplices aut ramosos. Foliola sunt ex angusto obverse lanceolata, interdum magis oblonga, setula mucronata, pallide virentia, propter villos molles albosque utramque paginam obducentes visa magis incana. Petioli antice plani villosi etiam sunt. Caules & rami terminantur foliis aliquot, quæ in capitulum colligunt flores breviter pedunculatos & subodoratos. Ad calycis basin bractea adstat lanceolata una alterave. Ipse calyx tubulosus & cum pallore magis minusve flavesceus pubescit, ad oram divisus in labium superius emarginatum, & in inferius lanceolatum acuminatum indivisum & superne connivens. Corollæ luteæ vexillum amplum & emarginatum dorso pubescit. Obtusa etiam pubescit carina margine toto, præterquam ubi superne vexillum respicit. Filamenta in unum sunt coalita corpus. Legumen pilis mollibus est hirsutum. Floret Julio & Augusto. Semina maturescunt Septembri. Crescit in asperis herbis apricis Austriæ & Hungariæ. Depicta seorsim adstant caulis fructigeri extremitas, semen, calyx, vexillum, ala, carina cum staminibus, & folium ex alio individuo angustius.

TABULA VIGESIMA SECUNDA.

ERYSIMUM REPANDUM. *Linn. syst. pag. 441. Amæn. acad. 3. pag. 415.*

Erysimum ramosissimum. Crantz. fasc. pag. 29.

Radix annua & albicans emittit caulem unicum, angulosum, erectiusculum, nunc fere simplicem, nunc valde ramosum. Rami patentes producuntur in racemos fructigeros longissimos & raros, siliquis etiam longissimis patentissimisque onustos, quo fit, ut ramosiorem planta habitum nanciscatur, quam ipsa re habet. Folia ex angusto lanceolata, argute & repando-dentata, ad tactum scabriuscula, aut sunt undulata aut plana. Flores in racemo quolibet unus alterve dumtaxat simul explicantur, petalis donati luteis, inodori & parvi. Siliquæ pedunculis brevibus insident, suntque tetragonæ, glabræ, obtusæ, incurvatæ aut rectæ. Plantæ varia altitudo est a semipede ad duos, etiam ad tres in cultis pedes. Si magis pumila est, tunc uno alterove gaudere ramulo solet. Tabula exhibet adolescentem plantam, ramosiorem ætate evasuram. Floret imprimis a Maji initio ad Junii finem. Frequens crescit in arvis, aggeribus, inter segetes, & alibi.

TABULA VIGESIMA TERTIA.

ERYSIMUM CHEIRANTHOIDES. *Linn. syst. pag. 441. Hall. hist. belv. num. 477.*

Gerard. prov. pag. 363.

Camelina, Myagrum alterum, Thlaspi effigie. Lob. ic. 225.

Myagrum siliqua longa. Baub. pin. 109.

Myagrum secundum Lobelii. Tabern. part. 2. pag. 538.

Myagro affinis planta, siliquis longis. Baub. hist. 2. pag. 894.

Turritis Leucoii folio. Tourn. inst. 224.



Radix annua, fibrosa, albida, & amaricans, emittit caulem unicum, basi interdum versus terram incurvatum, cæterum stricte erectum, subasperum, inferne foliis delapsis nudatum & obscure purpurascentem, angulatum, unum alterumve pedem altum. Folia inordinate alternantia, omnino numerosa, ex angusto lanceolata, basi attenuata, acuta, fordide virentia & subaspera, sunt summa integerrima, reliqua rariter denticulata. Primi flores ex caulis adhucdum simplicis extremitate prodeunt. Elongato corymbo, rami ex summorum, tum ex subsequantium aliquot foliorum alis, successive enascuntur foliosi erecti & simplicissimi, ita ut in planta culta sæpe tot sint rami, quot folia in caule, quorum tamen inferiores raro flores ferunt. Flores inodori & parvi calycem habent dilute flaventem, petala lutea & oblonga, stigma capitatum integrum & vix bicolle. Siliquæ tetragonæ & patulæ sunt. Floret Junio & Julio. Semina maturescunt Augusto. Crescit in cultis, ruderatis & campestribus.

TABULA VIGESIMA QUARTA.

NEPETA NUDA. *Linn. syst. pag. 390.*

Mentha cataria hispanica, olim fideritis altissima, flore albo. Baub. hist. 3. pag. 226.

Radix fibrosa & lignea perennat. Caules annui, tetragoni & glabriusculi eriguntur; geniculorum margine parum incrassato; bipedales & ex ramis tandem paniculati. Folia brevibus petiolis innituntur oblonga, facie glabra, subtus sæpe ad nervos majores pubescentia, obtuse ferrata, venosa, pallide fordideque virentia, caulina inferiora ad basin cordata. Rami erecti terminantur in spicas raras, compositas ex pedunculis multifloris & verticillatim locatis. Calycis pubescentis denticuli sunt æquales. Corollæ albæ labium superius est semibifidum. Tota planta odorem spirat gravem. Crescit rarius in locis asperis. Floret Junio & Julio.

TABULA VIGESIMA QUINTA.

PAPAVER DUBIUM. *Linn. syst. pag. 360.*

Papaver foliis hispidis pinnatis, pinnis lobatis, fructu ovato lævi. Hall. hist. helv. num. 1065.

Papaver erraticum, capite longissimo glabro. Tourn. inst. 238. Hall. Rupp. jen. p. 71.

Argemone capitulo longiore glabro. Moris hist. 2. p. 279. s. 3. t. 14. f. 11.

In magna stat affinitate cum Papavere Rhœade, a quo tamen constante differt propagatio-
ne. Duabus imprimis notis discrimen absolvitur. In Papavere dubio setæ duriores pedunculis perpetuo adpressæ accumbunt, ut, nisi oculo proxime admoto, sæpe non appareant; inferne in caule ramisque magis patulæ sunt; in Rhœade autem molliores patent omnes. Dubium capsulas profert oblongas, quæ decem longitudine lineas dum æquant, in diametro crassiore tres easdem superant rarissime. Rhœados vero capsulis, multo magis subrotundis aut obverse ovatis, etiam angustissimæ quæ sunt, ad crassitiem dupla ad summum longitudo est, plerumque multo minor. Addi pro discrimine possent folia in Papavere dubio ut plurimum tenuius incisa, & petala alba. Vidi tamen etiam in cultis paucissimis individuis petala rubra, quæ Hallerus in suis plantis minus conspicue rubra asserit. Et ipsum Papaver Rhœas, in saxosis macrisque locis alimento privatum, staturam hinc nam nactum, caulem unico vel paucissimis floribus albis, nec rubris, præditum non raro inveni; ut itaque color nihil certi hic indicet. Cæterum in dubio calyx est hirsutus, caulibus ramosus, capsula semper glaberrima, & petala apud nos ut plurimum alba cum macu-



la atropurpurea ad unguem, interdum ex integro deficiente. A Papavere Argemone Linnæi diversissima planta est; pumila stirpe capsularum tenuitate, etiamsi in his pili hirti, uti interdum fit, plane deficerent, facile se indicante. Floret Junio. Crescit in agris.

TABULA VIGESIMA SEXTA.

MELITTIS MELISSOPHYLLUM. Linn. *syst.* pag. 402. Scop. *carn.* 1. pag. 421. Crantz. *fasc.* pag. 285.

Melissophyllum. Hall. *hist. helv. num.* 244. Riv. *mon. irr. tab.* 21.

Melissa nostras. Camer. *hort. pag.* 99. *tab.* 30. Besl. *Eyst. vern. O.* 6. *fol.* 7. *f.* 3.

Lamium pannonicum primum. Clus. *hist.* XXXVI.

Lamium montanum, Melissæ folio. Baub. *pin.* 231.

Ex radice perenni quotannis plures caules nascuntur recti, hirsuti, foliis floribusque onusti. Illa ovata sunt, petiolata, dentato-ferrata cum denticulorum apicibus fuscis, villosiuscula & rugosa. Flores pedunculati aggregatim plures insident axillis foliorum. Calyx pubescit, uti etiam corollæ labium superius externe dorsumque. Illius labia sunt ferme æqualia longitudine, incisione inconstantia, ut superius sit aut integerrimum, aut bifidum, aut tantummodo crenulatum, etiam tridentatum. Labium inferius etiam quandoque denticulis lateralibus augetur. Corollæ ex purpureo alboque variæ sunt, nunc saturatius coloratæ, nunc dilutius, sæpe etiam totæ niveæ. Antheræ didymæ, fereque geminæ, conniventes circa stylum, & sic mutuo occurrentes, antheras mentiuntur cruciata; quod non minus pluribus aliis ex hac classe floribus solemne est. Tota planta odore prædita est ingrato & forti. Floret Majo & Junio. Crescit ad margines sylvarum, & in fruticosis. Jam recte celeberrimus Hallerus monuit, Milleri sub hoc titulo datam iconem ad nostram hanc Helveticamque plantam haud pertinere; quam potius Lamii quandam speciem repræsentare existimo.

TABULA VIGESIMA SEPTIMA.

CARDAMINE TRIFOLIA. Linn. *syst.* pag. 439. Hall. *hist. helv. num.* 475. Scop. *carn.* 2. pag. 20. Crantz. *fasc.* pag. 43. Lob. *ic.* 211.

Cardamine alpina prima trifolia. Clus. *hist.* CXXVII.

Nasturtium alpinum trifolium. Baub. *pin.* 104.

Umbrosa loca incolit, crescitque haud infrequens in sylvis, per quas adscenditur ad alpes, ubi Junio floret, & semina Augusto perficit. Tota glabra est. Radix teres & fibrosa perennat. Ex hac cauliculus unus alterve, per summam procedens tellurem egreditur, paulatim elongatur, & folia profert veluti radicalia pauca, inter quæ caulis florifer adscendit, aut nudus, aut folio unico versus summam partem instructus, cæterum teres erectus foliisque ut plurimum altior. Folia ternata longis petiolis innituntur. Foliola sunt subrotunda cum basi parumper angustata, ferme sessilia, inæqualiter crenata aut repanda, per omnem ambitum denticulis minimis, vix oculo, at digito facilius observandis, ferrulata, una cum petiolis in averfa parte plerumque purpurascens aut totis aut tantum in venis. Caulis terminatur corymbo florum subumbellato. Rarius in caulini folioli axilla etiam pedunculus pauciflorus conspicitur. Calycis foliola virescentia valde concava sunt, orasque habent tenuiores & albidæ. Petala sunt nivea & ad margines undulata. Antheræ pallide flavescunt. Siliquæ patent. Culta floret Aprili & Majo, & evadit cepitosa.



TABULA VIGESIMA OCTAVA.

PIMPINELLA PUMILA. *Linn. mant. pag. 327. Jacq. enum. vind. pag. 227.*

Sefeli petiolis ramiferis membranaceis, oblongis, integris; foliolis linearibus, sulcatis, petioli longitudine. *Gerard. prov. pag. 253.*

Apium pumilum. *Crantz. fasc. 213.*

Selinum montanum pumilum. *Clus. hist. CC.*

Selinum montanum pumilum Clusii, foliis fœniculi aut peucedani, flore albo, semine felini. *Bauh. hist. 3. part. 2. pag. 17.*

Tragofelinum caule crasso, sulcato, divaricato, foliis multifidis capillaribus. *Hall. hist. helv. num. 788.*

Oreoselinum tertium. *Tabern. herb. part. 1. pag. 343.*

Fœniculum minimum patulum. *Tourn. inst. 312. Seg. ver. 2. pag. 18.*

Daucus montanus multifido folio, felini semine. *Bauh. pin. 150.*

Saxifraga montana minor, foliis peucedani. *Moris. hist. 3. pag. 274.*

Tota planta glabra est. Radix magis minusve napiformis, extus nigricans, intus alba, fibris capillata, quæ foliorum elapsi autumnii reliquæ sunt, caulem profert unicum, & post fructus naturitatem perit. Caulis est exquisitè angulatus, striatus, erectus, ramosissimus, viridis aut purpurascens aut rubens, in ficcioribus sesquipollicaris vel tripollicaris, in pratenribus lætioribus etiam pedalis vel altior. Folia, quæ oriuntur ex petiolo in membranam amplam integram concavam & foris purpurascentem expanso, sunt subbipinnata; foliolis linearibus, crassis, antice sulcatis, ternis vel binis insidentibus petiolo communi ejusdem longitudinis. Involucrum reperio nullum. Aliæ plantæ fertiles sunt, steriles aliæ. Fertiles magis patulæ sunt, minus ramosæ, & plerumque virent saturatius. Umbellæ ratione plantæ, imprimis in sterilibus, sunt admodum numerosæ, ut hinc totæ paniculatæ evadant, occultenturque non raro a propriis floribus. Absque ordine certo locantur; modo, uti fieri alias solet, radiis compositæ communibus propriisque; modo radiis communibus destitutæ; in majoribus individuis etiam verticillatæ. Plantæ steriles producant meros masculos flores; fertiles autem solos hermaphroditos. In utrisque calycis virentis foliola sunt minima & subrotunda. Petala sunt oblonga, obtusa, facie cum levissimo virore albida, dorso aut virescentia aut purpurascentia, in principio patentissima cum apicibus conniventibus, postea magis incurvata contractaque. Filamenta patula gerunt antheras sulphureas. Maribus totum pistillum deest, ut corolla pedunculo sive radio, nec germi, insideat. Est tamen, germinis adinstar superi, intra mediam corollam caput illud subbifidum, quod germinum feminumque nedum maturorum verticem coronare in umbelliferis suevit. Hermaphroditis est germen inferum, subrotundum, leviter compressum, stylis præditum geminis. Fructus sequitur subrotundus, obtusus, glaber, plerumque decemsulcatus, stylis nigris & emarcidis instructus, bipartibilis in femina hinc convexa & quadrifidulcata cum angulis obtusissimis, illinc plana. In tabula figura altera plantam exhibet masculam florentem. Altera fructescentem hermaphroditam. Quas inter lente auctus adstat flos hermaphroditus, germine separato deorsumque semoto, ut melius conspici queat. Et semen quoque auctum utrinque proponitur. Crescit in collibus & montosis herbidis, tum etiam in pratis demissis. Floret Majo. Semina maturescunt Julio. Ex specimine sicco, a clarissimo Jacobo Dick ex Helvetia misso, judicavi, Hallerianum synonymum huc pertinere.

TABULA VIGESIMA NONA.

TRAGOPOGON MAJOR.



Primo anno sola folia radicalia profert, altero caulem, eodemque post peracta semina biennis perit. Tota lactescit. Radix ex tenui fusiformis albicat. Folia ex glauco virentia & striata ex basi lanceolata ensiformia evadunt, nervo dorsali plerumque carinato. In alis ut plurimum exigua portio lanæ albidæ habetur, quæ tracto deorsum folio in conspectum prodit. Caulis & rami teretes, erecti, nitidi, & inanes, superne in pedunculos valde incrassantur. Calyx constat foliolis fere tredecim acuminatis, petalis ad unam tertiam partem semper longior. Corollulæ striatæ flavent. Antheræ fufcescunt. Semina aspera pappum habent album. Floret Junio & Julio. Crescit ad margines sylvarum, ad vias, & alibi. A Tragopogone pratensi judico specie distinctum. Si non est, mereatur varietas adnotari. Pedunculus cum calyce fructigero nedum expanso sistitur ad marginem.

TABULA TRIGESIMA.

LORANTHUS EUROPÆUS. *Linn. syst. pag. 252. Jacq. enum. Vindob. pag. 230. t. b. 3.*

Planta fruticosa, tota dichotoma, ramosissima, diffusa, quadripedalis sæpe, & glabra, quercuum solarum ramis æque inferioribus atque summis parasitica innascitur; in Austria non tantum, sed etiam in Hungaria atque Moravia a me observata. Trunci, diametro interdum unciam superantis, basis loco radice est. Cortex fuscus, æqualis, crassus, tuberculis a foliis delapsis magis minusve notatus, sapore præditus leviter adstringente, & aquam maceratione inficiens colore rubiginoso, materiem circumdat ligneam, subalbidam, fragilem. Rami ad angulum recto paulo minorem exoriuntur, teretes; extremi virides, nitidi, foliosi, in summitate compressi. Dichotomia fit per articulationem, quæ veluti ginglymi est species; unde ad nodos ortumque ramulorum circuli apparent. Hæc articulatio in ramis non admodum adultis sponte solvitur in putata planta, adeo ut ramuli post paucos dies articulatim decidant. Folia sunt oblonga, basi in petiolum brevem attenuata, obtusa, integerrima vel emarginata & obsolete repanda, ad tactum pinguiuscula, mediocriter crassa, opposita, post maturum fructum decidua. Ex apice ramulorum ferme omnium racemus exit simplex, solitarius, a sex ad duodecim flores oppositos sessiles gerens. Ad racemi tandem delapsi utrumque latus gemma prodit fusca & bivalvis, e qua emergunt duo folia, reliquis multo mansura minora, inter quæ exit novus ramulus, in decursu duobus tribus vel unico foliorum pari ornatus. Flores, lenissima suaveolentia præditi, cum aliqua flavedine virent, in aliis individuis meri steriles, in aliis omnes fertiles. Illi charactere gaudent sequenti. Perianthium est margo parvus, obsolete sexdentatus, coronans germen; quod etiam squamulæ insidet propriæ. Petala sunt sex, rarissime quatuor vel quinque propter quorundam coalitionem, aut etiam septem lanceolata, acutiuscula, parum concava, patentissima, germini imposita. Filamenta sex, rarissime pauciora aut plura, subulata, crassa, patentia, inferuntur ad basin petalorum, iisdem breviora. Antheræ crassæ, obtusæ, erectæ, subgeminæ, partem habent exteriorem altiore & majorem. Germen turbinatum & inferum emittit stylum subulatum, erectum, longitudinis diversæ, stigmate conspicuo nullo donatum. Pericarpium abortat. Fertilibus floribus calyx est, ut in sterili, initio persistens, tandem disparsens. Petala sunt sex, oblonga, obtusa, patentia, germini imposita, decidua. Filamenta sex, tenuia; quoad reliqua, uti in sterili, sed antheris plane destituta. Pistilli etiam similis, sed longioris, stigma est obtusum & subcapitatum. Fructus, initio teres, paulatim valde evadit pyriformis, viretque: demum sub Octobris finem transit in baccam flaventem, nitidam & unilocularem; figuramque adipiscitur magis subrotundam, basi ipsa veluti in pedicellum attenuatam. Stylus emarcidus persistit, vel delapsus puncto nigricante verticem notat. Fructus tunc mollescent, glutine spisso albido pleni, in quo nidulatur semen soli-



litarium, subovatum, foris fuscescens, intus virens, basi album, cujus apex fordide flavescens radicis futuræ novæ plantulæ est rudimentum. In tabula sistuntur in vera magnitudine ramus plantæ fertilis; extremitas ramuli plantæ sterilis; racemus fructiger maturus; semen; & trunci pars discissa. Auæti exhibentur hinc flos sterilis & inde flos fertilis; tum utriusque pistillum & petalum staminiferum. Floret Aprili & Majo.

TABULA TRIGESIMA PRIMA.

LINUM HIRSUTUM. *Linn. syst. pag. 224.*

Linum sylvestre latifolium primum. *Clus. hist. 316.*

Linum sylvestre latifolium hirsutum cæruleum. *Baub. pin. 214. Moris. hist. 2. pag. 573. s. 5. t. 26. f. 5.*

Radix lignosa & multiceps perennat. Caules teretes, simplices, hirsuti, pedales vel bipedales, inferne sæpe glabri, totique foliosi, eriguntur; abeuntes in ramos floriferos corymbosos. Folia sunt lanceolata aut ovata, acuminata, sessilia, alternantia, in summis tamen ramis opposita aliqua, margine imprimis nervisque dorsalibus pilosa, quandoque etiam ferme glabra. Flores brevissime pedunculati, non ipsis de alis foliorum, sed paulo exeunt altius, tum ex ramorum quoque divisione. Calycis hirsuti foliola sunt lanceolata, acuminata, & corolla duplo breviora. Petala cærulea & lineata, marginibus inferne, nec tamen ipsa basi, sibi mutuo firmiter incumbentia, mentiuntur, etiam delapsa, corollam monopetalam infundibuliformem. Antheræ pallent. Rudimenta steriliū staminum observare nulla potui. Germen est hirsutum. Stylos numeravi quinos. Capsula est subrotunda, glabra, decemlocularis & quinquevalvis. Non fui itaque ausus citare in synonymia Linum hirsutum clarissimi Scopoli, qui suæ plantæ stylos quatuor & capsulam quadrilocularem adscribit. Crescit in asperis editis locis. Floret Julio. Eadem mihi videtur hæc planta cum Lino sylvestri latifolio secundo Clusii, cujus, quæ habeo, specimina nullo modo ab ejusdem primo distinguere valeo. Nec floris obest color, quum etiam in nostratibus individuis aut intenditur ille, aut in albedinem vergit propius. A Lino sylvestri Floræ Carniolicæ, quod idem esse opinor cum Linnæi Lino viscoso, manifeste & facillime distinguitur pilis in margine foliorum, uti in eorundem disco, simplicissimis; nec, (cujusmodi illos margo foliorum Lini sylvestris, non ipse discus, habet,) apice capitato-glandulosis, primo id observante laudati modo operis clarissimo autore. Folia nostræ plantæ nunc manifestius trinervia sunt, nunc obscure, ut nervi ægre appareant.

TABULA TRIGESIMA SECUNDA.

ERICA CARNEA. *Linn. syst. pag. 270. mant. 373. Scop. carn. 1. pag. 275.*

Erica foliis patentibus, quaternis, acutis, caducis; corollis calyce longioribus; antheris eminentibus. *Hall. hist. helv. num. 1013.*

Erica Coris folio nona. *Clus. hist. 44.*

Erica procumbens ternis foliis carnea. *Baub. pin. 486.*

Erica herbacea. *Linn. syst. pag. 270.*

Erica coris folio octava. *Clus. hist. 44.*

Erica procumbens herbacea. *Baub. pin. 486.*

Elegans & tota glabra densum interdum format fruticulum, radice instructa digitum crassa lignosaque, qualem in rupibus præruptis ad ripas sylvaticas torrentum inveni. Sæpe tamen ipsis in sylvis montosis umbrosisque unus alterve cauliculus totam plantam ab-



solvit. Folia brevissime petiolata, linearia, acuminata, patentissima, summa magis ascendencia, crassiuscula, antice plana, subtus exiguo sulco exarata, quaterna ut plurimum verticillatim ramis lentis innascuntur. Pedunculi uniflori solitarii & breves in caulibus extremis dense locantur. Flores clausi virentesque jam autumnoprodeunt, integram sic hyemem peragentes, & subsequis Aprili atque Majo demum colorantur seseque explicant, toti tunc carnei sensimque saturatiores, antheris etiam tunc tandem exsertis. Clusium fecutus autoptam, Linnæus hanc stirpem bis proposuerat, Hallerus primus docuit eandem, diversa ætate spectatam. Calyx petalo ovato ad unam tertiam partem est brevior. Antheræ bifidæ & nigræ extra corollam prominent. In margine tabulæ aucta adstant calyx, corolla, stamen, folia, foliumque transversim discissum.

TABULA TRIGESIMA TERTIA.

CYTISUS CAPITATUS. Scop. carn. 2. pag. 70.

Cytisus hirsutus. Crantz. fasc. pag. 398.

Cytisi septimi species altera. Clus. hist. 97.

Cytisus supinus foliis inferne & siliquis molli hirsutie pubescentibus. Bauh. pin. 390.

β Cytisi quinti species altera. Clus. hist. 96.

Cytisus hirsutus major, foliis pinnatis. Bauh. pin. 390.

Cytisus, septimo Clusii similis. Besl. hort. Eyst. vern. arb. fol. 11. fig. 2.

Difficillima Cytisorum Austriacorum synonymia erroribus Botanicis ansam pluribus dedit. Colui in horto erutos sylvestres cum obviis varietatibus, & forte nunc cum certitudine majore pronunciare de illis possum. Depingi curavi sylvestres, & quidem illo habitu, quo occurrere solent frequentius. Nec multum variare in solo natali Cytisos supinum atque austriacum vidi, nec hunc quidem cultum. Eo autem magis ludit Cytisus hicce capitatus, cujus notabilem varietatem, ad margines sylvarum rarius crescentem, valde ramosam, & ad quam referri posse existimo synonyma sub β citata, fortasse postea depictam exhibebo una cum varietate speciosa culti Cytisi supini. Dum Cytisi supini legumina ad maturitatem jam properant, incipit medio Junio florere Cytisus capitatus, Cytiso austriaco paulo præcocior. In capitato ex radice lignosa, digitum sæpe crassa, caules oriuntur plures, fruticulosi, glabri, persistentes, procumbentes, a dimidio pede ad sesquipedem longi, aphylli & lignosi; ex quibus enascuntur rami erecti, herbacei, foliosi teretes, simplices plerumque, hirsuti, dilute virentes & annui. Folia ternata, facie viridia & ferme glabra, dorso & margine hirsuta magisque pallentia, petiolis insistent pilosis. Foliola sunt obverse ovata & obtusa cum nervo medio in setulam ut plurimum producto. Ramos terminant folia duo opposita, aut etiam frondose plura, inter quæ ex ipsa rami summitate exoritur florum breviter pedunculorum numero incerto capitulum sive umbella aliqua, sæpe densa & elegans. Sub hac ex axillis modo dictorum foliorum tandem egredi quandoque videmus ramulos solitarios breves & ipsos post mensem suis floribus onerandos. Nulli autem per virgas sparsi flores, ut in Cytiso supino, jam monente Clusio, conspiciuntur. Ab austriaco capitatus discriminatur foliis haud adeo incanis, iisque multo latioribus, & caulibus ipsis non ita erectis. Cum utroque flore convenit. Calyx aut pallide cum virore aliquo aut magis saturate flavet, superne etiam simul purpurascens, ad basin stipula anguste lanceolata fulcitur, pilis mollibus albisque hirsutus est, & tubo gaudet bilabiato; labio superiore bifide emarginato latissimo, inferiori bidentato. Corolla lutea cum vexillo ampliori, qualis in austriaco, ætate rufum colorem induit. Filamenta omnia in unum corpus coalescunt. Legumen oblongum, acutum, compressum, nigrum, pilis mollibus albidis longisque vestitum, semina continet octo vel pauciora, nitidissima, pallide fusca, subovata vel magis subrotunda, & parum compressa. Crescit in mon-



montosis sylvaticis, in herbidis apricis, ad margines sylvarum, aliisque in locis. Adest in tabulæ margine summitas caulis fructigeri; tum semen.

TABULA TRIGESIMA QUARTA.

VICIA PANNONICA. *Grantz. fasc. 393.*

Vicia sylvestris albo flore. *Clus. hist. CCXXXV.*

Vicia sylvestris hirsuta, filiqua incana. *Bauh. pin. 345.*

Pro Viciæ luteæ varietate hanc olim habueram. Comparatam nunc cum Vicia lutea hybridaque, quarum specimina plura, cum culta, tum sylvestria examinavi, vere diversam invenio, adeo quidem ut vel primo intuitu facillime distingui queant. Pannonica hæc a duabus memoratis discriminatur pedunculis bifloris aut trifloris omnibus, ut rarissime uniflori occurrant, quales ex adverso in lutea hybridaque video adesse perpetuo, dum nec in horto nostro cultura hic quidquam mutavit. Differt etiam ab iisdem integritate constante omnium stipularum. Foliis ab hybrida sæpe neutiquam dignoscitur. Reliqua discrimina ad Horti Vindobonensis tabulam centesimam & quadragesimam sextam proponuntur. Nostræ plantæ radix fibrosa perennat, & plerumque est multiceps. Inter segetes caules bipedales eriguntur, firmati claviculis ad segetum culmos, cujusmodi caulis depictus sistitur. In arvis restibilibus & pratensibus siccioribus, ubi notabili interdum copia crescentem vidi, breviores magnam partem procumbunt, tandemque adscendunt, hic ut plurimum pilosiores. Sunt vero caules angulati, pubescentes aut glabriusculi, simplices vel ramosi. Foliorum costa desinit in claviculam, sæpe purpurascentem, & utrinque locat foliola septem, octo vel novem, crebrius alternantia quam opposita, oblonga aut elliptica, utrinque pilis sericeis magis minusve dense vestita, aut obtusa integraque, aut retusa, semper cum nervo medio in fetulam eminente. Stipulæ integerrimæ, lanceolatæ, & acuminatæ, subtus notari solent macula fusca, rarissime desiderata. Ex pedunculis communibus brevissimis flores bini vel terni propendent. Quadrifloros tamen etiam vidi, uniflorosque, sed valde infrequentes. Calycis hirsuti & ochroleuci aut pallentis cum suffusa rubedine dentes sunt setacei. Corollæ albidæ vexillum dorso hirsutum & fuscescens, antice per venas fuscis variegatum, latera habet reflexa, & unguem amplum & canaliculatum. Carina inferne pallet cum virore, superne magis sordet. Stamina sunt in unum corpus coalita. Legumina oblonga, acuminata, nigricantia pilisque vestita albidis continent semina quinque vel pauciora, subrotunda, ex atro fusca cum hilo cinereo. Floret imprimis Junio. Semina Julio matureſcunt.

TABULA TRIGESIMA QUINTA.

SCORZONERA PURPUREA. *Linn. syst. pag. 519. Scop. carn. 2. pag. 96. tab. 46.*

Scorzonera caule ramoso tereti, foliis linearibus acuminatis, calycibus obtusiusculis.

Gmel. fib. 2. pag. 7. t. 2.?

Scorzonera angustifolia elatior pannonica quarta. *Clus. hist. CXXXIX.*

Scorzonera angustifolia subcærulea. *Bauh. pin. 275.*

Scorzonera sylvestris, foliis angustis, flore cæruleo. *Mentz. pug. t. 1. f. 1.*

Radix foris nigricans, intus albida, in caput fetosum abit, ex quo caulis assurgit sesquipedalis, tenuis, teres, glaber, foliosus, parum ramosus. Folia sunt linearia, acuta, integerrima, glabra, connivendo canaliculata, rarissime plana. Calycum squamæ



infimæ sunt acutæ, reliquæ obtusiores. Corollæ petala apice angustantur, ut hinc denticuli vix appareant. Colorem habent ex cæruleo dilutissime purpurascentem. Odorem spirant lenem gratumque, quem Clusius comparat pastillis e Benzoino confectis. Tota planta lacte glutinoso turget. Crescit in pratensibus montanis. Floret Aprili & Majo.

TABULA TRIGESIMA SEXTA.

SCORZONERA HUMILIS. *Linn. syst. pag. 519. Scop. carn. 2. pag. 95.*

Scorzonera caule nudo, unifloro; foliis lanceolatis. *Hall. hist. num. 10.*

Scorzonera humilis latifolia pannonica. *Clus. hist. CXXXVIII.*

Scorzonera humilis latifolia nervosa. *Baub. pin. 275.*

Ex radice longa, calamum vel etiam pollicem crassa, & perennante, caulis exurgit unus alterve palmaris aut pedalis, florem sustinens unicum, foliis brevioribus paucis vestitus, fistulosus, stipatus foliis radicalibus pluribus ad longitudinem plus minus eandem productis. Hæc ex glauco virent; utrinque attenuantur; pleraque connivent, & margines habent undulatos; nervis longitudinalibus numero incertis gaudent; latitudine admodum variant in diversis, vel ipsis etiam iisdem in individuis, ut dentur latissimo in iconne depicto folio latiora, vel alia ex adverso plane linearia. Radix ætate multiceps evadit, & ex foliorum destructorum nervosis reliquiis factam gerit coronam fetaceam. Calycis squamæ apice fufcescunt. Petala lineata sulphurei sunt coloris. Tota planta scatet lacte glutinoso candido, ad æris contactum colorem aurantiacum induente. Floret Aprili. Reperitur in collibus saxosis & asperis. Nunc cum illustrissimo Hallero existimo, hanc Scorzoneram ab alia humili angustifolia pannonica Clusii tertia non differre specie, sed esse plane eandem plantam, folia tunc omnia angustissima gerentem.

TABULA TRIGESIMA SEPTIMA.

ALYSSUM MONTANUM. *Linn. syst. pag. 436. Jacq. enum. vindob. pag. 258.*

Gmel. fib. 3. p. 250.

Alyssum subfruticosum, foliis ellipticis scabris. *Hall. hist. helv. num. 492.*

Alysson. *Cam. epit. pag. 558. n. 2.*

Adyseton montanum. *Scop. carn. 2. pag. 14.*

Clypeola montana. *Crantz. fasc. pag. 19.*

Thlaspi incanum montanum luteum. *Baub. prodr. 49.*

Thlaspi saxatile incanum luteum serpilli folio minus. *Baub. pin. 107.*

Thlaspi thymi folio, utriculo subrotundo mucronato, hispanicum. *Barr. ic. 807.*

Thlaspi montanum luteum. *Baub. hist. 2. p. 928.*

Jonthlaspi luteo flore, incanum, discoides, umbellatum, montanum. *Col. ecphr. pag. 280. & 281.*

Radix perennis & multiceps plures emittit cauliculos, basi decumbentes, hinc adscendentes, incanos, foliosos, simplices. Folia sunt obverse lanceolata, acutiuscula, crassa, incana, integra, inferne attenuata, sparsa, numerosa, semipollicaria, vestita utrinque tomento, quod constat ex stellulis plurimis, quæ unitæ telam veluti efficiunt tenuissimam & albidam, qua totum folium obducitur, uti ex aucti figura folii patet. Flores corymbose propriis insident pedunculis; calyce instructi caduco, pallide flavescente, scabriusculo; petalis luteis, emarginatis. Filamenta semper aliqua squamam emittunt magis minusve tridentatam, e cujus dorso versus latus egredi videntur. Hujusmodi auctum stamen



men etiam exhibetur. Silicula orbiculata & stylo acuminata, utrinque unum alterumve semen includit. Crescit in rupibus. Floret Majo.

TABULA TRIGESIMA OCTAVA.

ASTRAGALUS ONOBRYCHIS. *Linn. syst. pag. 499. Scop. carn. 2. pag. 77.*

Crantz. fasc. pag. 415.

Astragalus caule suberecto, ramoso, foliis linearibus, sericeis, vexillis longissimis.

Hall. hist. helv. num. 412.

Onobrychis purpureo flore. *Clus. pann. pag. 751.*

Onobrychis prima. *Clus. hist. CCXXXVIII.*

Onobrychis spicata, flore purpureo. *Bauh. pin. 350.*

Ex radice lignosa, perenni & multicipite plures prodeunt caules, basi sublignosa sæpe etiam perennantes, cæterum herbacei, ramosi, duri, teretes, substriati, brevissimo & sæpe vix conspicuo villo hirsuti, pedales vel bipedales, ferme toti procumbentes, extremitatibus florentibus erectis. Folia sunt pinnata ex foliolis utrinque a septem ad quindecim cum impari, oblongis, acutis, margine & subtus imprimis sericeo brevique villo obductis, sæpe parum conniventibus, inferioribus pollicaribus, supremis plerumque angustissimis. Stipulæ foliis adstant lanceolatæ, acuminatæ & integerrimæ. Rami & caules elongantur in pedunculos nudos longosque, apice flores plurimos in spicam congestos locantes, in fructu ad tres quatuorve uncias productam. Calyx villosus purpurascit plus minus, & denticulos superiores habet gradatim breviores. Corollæ ex violaceo purpureæ vexillum est calyce triplo vel quadruplo longius, alis duplo, figura oblonga, vix emarginatum, lateribus reflexis, obtusissimum. Alæ unguibus insistent tenuibus & longis. Carina pauxillo brevior & obtusa figuram ferme alarum habet. Stamina sunt diadelpa. Germen subulatum in stylum abit glabrum stigmate obtuso terminatum. Legumen oblongum, acuminatum, hirsutum, ex integro biloculare, fuscescens, ex altera parte fulcatum, semina continet pauca, nitida, quæ una cum legumine utrinque conspecto & flore separatim sistuntur. In herbidis & pratensibus asperioribus passim & copiose occurrit. Floret totam æstatem. Semina maturescunt Septembri.

TABULA TRIGESIMA NONA.

OROBUS PANNONICUS. *Kram. elench. pag. 213. Jacq. enum. vindob. p. 128.*

Orobis pannonicus tertius. *Clus. hist. CCXXXI.*

Orobis austriacus. *Crantz. fasc. pag. 374. tab. 1. fig. 1.*

Tota planta glabra est. Radix perennans constat tuberibus oblongis, teretibus, in fibras desinentibus, fibrillas alias etiam emittentibus, extus fuscis, intus albis carnosiss & subdulcibus. Quotannis radici bulbus novus superne accedere videtur, tunc tenuior magisque albicans. Caulis subtriangularis erigitur. Stipulæ sunt ex angusto lanceolatæ, acuminatæ, & basi semifagittatæ. Petioli carinati terminantur seta subulata brevique; sustinentes inferiores semper par foliolorum unicum, superiores plerumque paria duo, summi sæpe iterum unicum, ita ut in quibusdam foliis non raro foliolum impar adesse conspiciatur. Sunt autem foliola lineari-lanceolata, acuminata, carinata, obscure trinervia, adscendentia; interdum duplo breviora ac latiora quam sunt depicta. Flores inodori nutantesque numero incerto pauci & racemose locantur in pedunculis communibus axillaribus, solitariis, triangularibus, erectis, longitudine foliorum, aut unico in eadem



planta aut paucis. Calyx cum virore purpurascit. Corolla albet cum vexilli parte aliqua interdum subrubente. Vexilli unguis latissimus reliquorum petalorum unguis amplectitur. Alæ, carina multo longiores, superne connivent, inferne patent. Filamenta ferme connata sunt in unum corpus, decimo tamen facile separabili. Legumina sunt glabra, & suberecta. Floret Majo & Junio. Crescit præcipue in pratis. An eadem sit hæc planta cum Orobo in Gmelini Floræ Sibiricæ volumine quarto tab. V. delineato, non a-sum decidere. Etiam ibi varietates, quas in nostratibus individuís observamus, angustifolia atque latifolia occurrunt. Sed flores suæ plantæ vir celeberrimus purpureos tribuit. Luteos illustris Linnaeus dicit flores Orobi angustifolii sui. Effetne sic color constanter diversus floribus ejusdem plantæ in tribus diversis regionibus?

TABULA QUADRAGESIMA.

TRIFOLIUM OCHROLEUCUM. *Linn. syst. part. 3. pag. 233.*

Trifolium caule recto, foliis hirsutis, supremis conjugatis, spicis oblongis. *Hall. hist. belv. num. 378.*

Trifolium caule hirsuto scabro, foliis mollibus integerrimis, spicis subvillosis ochroleucis. *La Chenal. diss. pag. 2.*

Trifolium album β . *Crantz. fasc. pag. 409.*

Radix perennis caules plerumque paucos producit erectos, hirsutos, teretes, pedem aut sesquipedem longos, aut simplicissimos & unifloros, aut uno alterove ramulo ex superiorum foliorum alis auctos. Petiolorum membranaceæ bases, hirsutæ & nervosæ terminantur utrinque in acumen. Foliola sunt hirsuta, mollia, integerrima, obtusa, infima subradicalia ovata vel etiam obverse cordata, reliqua oblonga, summa angustiora. Caulem ramosque terminant folia duo opposita & sessilia, quorum alterum majus est, & a quibus parumper distat spica, in principio subrotunda, postea magis ovata, odoris herbacei. Calycis hirsuti dentibus quatuor æqualibus infimus duplo longior est. Corollæ ochroleucæ & monopetalæ tubus longus & tenuis excurrit in vexillum ex lanceolato oblongum, alis & carina æqualibus multo longius. Illæ sunt oblongæ. Hæc etiam est oblonga obtusa & concava. Crescit in pratis sylvaicis. Floret Junio & Julio. Corolla monopetala a Trifolio montano, cui eadem tetrapetala est, aliisque momentis facillime distinguitur.

TABULA QUADRAGESIMA PRIMA.

AGARICUS PSEUDOBOLETUS.

Mense Junio in sylva Gatterholz truncatæ solo tenuis quercus putrido stipiti innascentem inveni hunc fungum. Atque aderant specimina plura. Agarici quercini varietatem si quis esse prætendat, meretur non minus adnotari varietas hæc insignis. Oblongus, firmus, fatisque durus, ex basi latiuscula & inæquali affurgebat in collum longum, circa medietatem parum angustatum, hinc iterum paulatim latefcens in caput obtusissimum & obsolete triangulare, cujus superficies lente vitrea spectata exhibebat structuram spiralem, qualis in epidermide pulpæ digitorum conspicitur, oculis nudis obscure tantum observandam. Basis erat eleganter ferruginei coloris, qui adscendendo per collum, sensim dilucior, tandem sub capite in sulphureum mutabatur. Et per omnem hanc partem totus fungus admodum nitebat, ac si vernice densa fuisset illuminatus; quo carebat nitore pallescens caput. In colli superiore parte infra caput, in altero dumtaxat fungi latere, porri aderant valde conspicii, Boleti characterem mentientes; at vero qui oculo armato refe-



rebant exacte Agarici quercini labyrinthiformem fabricam, hic solummodo superficialem, nec penetrantem fungi substantiam. Caro fungi erat pallide fusca, ex coriaceo lignea, homogenea, dura, compressioni cedens parum, sed restituens se, secanti cultro resistens adinstar suberis. In exsiccatō fungo color nitorque perstiterunt. Quæ in icone adsunt radiculae fibrosæ, ad basin fungo inhærentes, non sunt de ipso fungo, sed de aliis plantis, basin fungi permeantes. Hinc atque illinc depictus sistitur.

TABULA QUADRAGESIMA SECUNDA ET TERTIA.

CARDUUS CANUS. *Linn. syst. pag. 529. mant. pag. 108.*

Carduus tuberosus. *Jacq. vind. pag. 289.*

Cirsium tomentosum, radice bulbosa. *Bauh. hist. 3. pag. 44.*

Cirsium montanum maximum. *Raj. hist. 305.*

In pratis humidis copiose crescit, Augusto & Septembri florens, Carduo rivulari, magis præcoci, in iisdem sæpe locis succedens. Radix perennans constat tuberibus pluribus fusiformibus, aggregatis, calamus vel & digitum crassis, duos tresve vel plures uncias longis, in fibrillam tenuem terminatis, carnosis, insipidis, foris fuscescentibus, intus albidis. Caulis solitarius, inermis, teres, striatus & villo arachnoideo paucō vestitus erigitur. Folia, cum radicalia, tum caulina, sunt ex lanceolato oblonga, utrinque villo etiam arachnoideo cana; hoc paucō amoto in prona parte glabra, in averfa pilis brevissimis subaspera; mollia nec rigida; ad oras ciliis spinosis frequentibus & innocuis armata. Superiora sessilia sunt; inferiora decurrunt per caulem. Flores solitarii & suberecti caulem & ramos (si qui adsint,) terminant. Calycis glabri & glutinosi foliola virentia dorso elevantur in gibbum glandulosum magis pallentem, abeuntque in exiguum mucronem nigricantem. Corollæ purpureæ sunt. Semina nitida pappum gerunt plumosum. Admodum hæc planta variat, nunc sesquipedalis vel paulo altior, & uniflora vel omnino pauciflora; nunc iterum humanæ fere altitudinis & ramosa. Caule viridi prædita, aut purpurascente. Foliis subintegris, & magis minusve profunde serratis, aut etiam pinnatifide sinuatis omnibus, cujusmodi folium ex planta majore in tabula quadragesima non coloratum additur. Villo magis vel minus conspicuo; aliisque momentis. Hinc duplici in tabula exhibendam curavi; primo facie illa, qua sæpius sylvestris occurrere solet; tum majore, qua sylvestris rarius, culta semper conspicitur.

TABULA QUADRAGESIMA QUARTA.

ADONIS APENNINA. *Linn. syst. pag. 377.*

Adonis Helleborus. *Crantz. fasc. pag. 110.*

Pseudoellæborus niger. *Clus. hist. pag. 333.*

Helleborus niger ferulaceus, caule geniculato, flore magno tulipæ minoris instar.

Mentz. pug. tab. 3. f. 1.

Crescit elegans planta in montibus ficcioribus & gramineis, cum apricis, tum sylvaticis, sæpe magna copia; ubi floret Aprili & Majo, dans Julio semina matura. Radix ætate multiceps nigricans & perennis augetur fibris teretibus, semipedalibus, extus atris, intus albicantibus, indivisis, numerosisque. Caules annui atque herbacei eriguntur, basi vaginis membranaceis inclusi communibus plerumque gemini, compressi plus minus, in ramos unifloros duos tresve divisi, ferme glabri toti, quadrunciales aut sesquipedales. Sæpe ramis sterilibus post florescentiam caules augentur, ultra fructigeros efferrî solitis, in



ipsa planta florente interdum jam præsentes. Folia multifida, tenuiter divisa, plana, acuta, linearia, glabra, sessilia, ad basin usque ita distincta, ut videantur esse plura eodem loco exorta. Floris ferme inodori calyx constat semper foliolis quinque concavis, foris pubescentibus & ex fusco purpureis, obtusis. Corolla componitur ex binis petalorum ordinibus, externorum latiorum octo, internorum novem; quem petalorum numerum inveni frequentiore, nec tamen perpetuum. Pauciora tamen quam septemdecim in universum petala, rarissime observavi; plura autem sæpius, vel ad viginti quatuor usque. Sunt vero illa ex angusto obverse lanceolata, obtusa, lineata, apice inæqualiter ferrata, calyce ferme duplo longiora, intus eleganter flava, extus virore simul purpurascente perfusa. Stamina sunt lutea. Receptaculum ex ovato oblongum & asperum semina in capitulum subovatum colligit plurima, obverse ovata, angulata, obtusissima, rugosa, villosa, & mucrone inflexo in apice ad latus superius munita. Celeberrimi Linnæi assensu hæc planta est ipsius Adonis apennina. Duodecim tantum petala in hac Austriaca, vel in sexcentis de industria examinatis individuis, non potui invenire unquam; nec potuit magis vir nobilissimus a Mygind, nec plures alii. Totidem Linnæus petala Adonidi tribuit vernali; nec plura clarissimus Scopoli; illustris Hallerus duodecim & ultra. An itaque vere distinctæ plantæ sint, videant illi, quibus utramque comparare posse datur. Nos aliam in Austria, quod sciam, non habemus.

TABULA QUADRAGESIMA QUINTA.

ORCHIS PALLENS. *Linn. mant. pag. 292.*

Orchis radicibus subrotundis, petalis galeæ lineatis, labello trifido (in titulo iconis quadrifido) integerrimo. *Hall. bist. helv. num. 1281. tab. 30.*

Orchis bulbosa, floribus flavescentibus. *Seguier. ver. 3. pag. 247.*

A summis Botanicis Hallero atque Seguiero descripta prolixè est, ut ulteriore descriptione superfedere omnino possem. Ne tamen icon adumbratione careat aliqua, pauca hæc addo. Aprili & initio Maji floret, in collibus herbidis crescens, ex quibus eruta prima specimina vidi allata a viro eruditissimo Valentino Brusati, Medicinæ Doctore. Bulbi sunt subrotundi. Folia longitudine quatuor, unicam latitudine unciam æquant, nitida, immaculata, sublineata, acuta, saporis amaricantis & ingrati, terminanturque in basin longam vaginantem, pergentem ad usque radicem, scapumque artissime amplexantem, ut internorum ferme adnata dici queat. Scapus semipedalis spicam fert raram & fescuncialem. Flores odore perfecte referunt sambucinos, at fortiorem, bractea suffulti singuli flavescente & longitudine germinis. Petala sunt sulphurea & ovata, quorum extrema duo retrorsum erecta & acutiuscula notantur lineis tribus virentibus; tria interiora magis obtusa in cucullum connivent, lineola virente non minus insignita lateralia unico, supremum vero paulo latius ternis. Labellum propendet amplum, magis intense flavum, trifidum, leviter convexum, lacinia intermedia duplo latiore & emarginata, nec cæterum dentata, nec maculata, in cujus fauce nullos omnino villos detego. Antheræ flavent. Cornu obtusissimum, rarius emarginatum, & labelli circiter longitudine, sursum incurvatur. In Halleriana tabula floris integri duplex figura exhibetur. Sistitur in mea flos petalis avulsis, ut faux in conspectum veniat. Fructus sunt oblongi, striati & pollicares.

TABULA QUADRAGESIMA SEXTA.

SCANDIX INFESTA. *Linn. syst. pag. 732. Willich. obs. pag. 34.*



Radix annua, dura, sublignosa, tenuis, ramosa, albida, daucique sapore aliquo prædita, caulem gignit solitarium, teretem, semipedalem vel tripedalem, striatum, scabriusculum nec tamen pilosum, jam ipso in exortu ramos horizontales emittentem, modo erectum magis, modo in ramos patentes longosque totum diffusum. Folia sunt pinnata ex foliolis quinis vel ternis; atque hæc foliola in plantis majoribus modo similiter sunt pinnata, modo pinnatifide tantum & inæqualiter incisa; circumscriptio autem ovata vel lanceolata, plana, utrinque ob pilos minutos & vix conspicuos subhirsuta & scabriuscula, fordidè virentia, in senescente planta sæpe ex fusco sanguinea. Involucrum universale adest unifolium ac minutum; interdum nullum. Radii sunt a tribus ad novem. Involucris partialis foliola parva sunt quatuor vel quinque. Umbellulæ partiales sunt valde densæ, hemisphæricæ, & valde convexæ, ut non raro coni basin exprimant. Flores albi & inodori petala habent propter incurvatum apicem cordata, exteriores extima multo ampliora, qui pauci ob pistilli absentiā abortant. Interdum petala interiora bina mentiuntur petalum unicum ad basin usque bifidum sine apice inflexo; quia in his tunc apex inflexus est in exteriore latere, & lobo altero ferme deficiente, lobus præsens recta tendit deorsum; unde corollam quis credere tetrapetalam posset. Antheræ purpurascunt. Semina sunt oblonga, obtusa, fusca, & hispidis leviterque uncinatis munita setis, quarum extimæ in feminibus fructuum exteriorum sunt longæ, reliquæ brevissimæ. Floret Julio & Augusto, femina ferens Septembri. Crescit in agris, & ad fruticeta ac margines sylvarum. Representat tabula plantam staturæ mediocris florentem; & majoris plantæ ramulum abscissum cum umbella fructigera nedum matura; tum florem radiantem auctum; tandem unius ejusdemque fructus exterioris bina semina in volumine æque naturali quam aucto.

TABULA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

RIBES ALPINUM. *Linn. syst. pag. 184.*

Ribes inerme, floribus planis, bracteis florum longitudine. *Hall. hist. helv. num. 817.*

Ribes vulgare, dulci fructu. *Clus. hist. 119.*

Ribes montana altera. *Baub. prodr. 162.*

Ribes minor, fructu rubro. *Besl. hort. cyst. arb. vern. fol. 14. fig. 1.*

Ribes sylvestre. *Camer. hort. pag. 141.*

Ribes alpinus dulcis. *Baub. hist. 2. pag. 98.*

Grossularia vulgaris, fructu dulci. *Baub. pin. 455. Mapp. als. pag. 139.*

Habitu proxime accedit ad Ribes rubrum; diversum tamen ab hoc foliis magis lucidis, saturatius virentibus, dorso ferme glabris, & facie subpilosis; tum aliis etiam momentis, quæ ex descriptione patebunt. Atque hoc quidem quam maxime pro discrimine facere, si observatio perpetua est, existimo, quod larvæ Phalenæ grossulariæ, quotannis ex integro devastantes septem horti nostri Botanici quandam ex Ribes rubro constam, ne folium quidem lædant ullum Ribes alpini, priori proxime adstantis. Totus frutex est inermis. Petioli sæpe pilis longiusculis ac raris obsidentur. Flores locantur bini vel terni, vel numerosiores, rarius solitarii, in pedunculo communi racemoso, brevi, erecto, & nec fructigero quidem vere pendulo, prodeunte ex gemmula ad latus ramuli novelli, ita ut præciores floreat ante foliorum plenum incrementum. Quilibet flos proprio brevissimo innititur pedunculo, qui suffulcitur bractea membranacea, pallente, late lanceolata, acuminata, concava, erecta, & longitudine ipsius floris. Calycis laciniæ subrotundæ subflavescent, & valde patent, interdum numero luxuriantes feno vel septenario. Petala omnium minima & duplo latiora quam longa flavent. Bacca rubra, sine omni acore dulcis, fatua, & subglutinosa, continet semina pauca, a binis ad sena. Crescit in fruticetis montosis, ubi flores Aprili, fructus maturos profert Julio, utrosque serius in subalpinis.



Rarum vidi alium fruticem, eodem tempore eodemque loco florentem, in quo sequens a priori observavi discrimen, dum reliqua congruebant omnia, quare etiam ad eandem illum speciem reduco. In hoc flores sunt paulo majores magisque plani, perianthii laciniis, dum marcescere incipiunt, reflexis. Etiam si stylus adsit, carent omnino germine, cujus vestigium detegere nec lente usus valui. Nullo etiam anno in hisce fruticibus fructum vidi, dum una cum bracteis flores decidunt brevi omnes. Racemi admodum erecti unam duasve uncias longitudine æquant, ob flores numero vicanos vel tricenos denseque positos spicam teretem referentes. Calycis lacinia aliqua semper summam floris partem occupat, cui opponuntur infimæ duæ; atque sub harum divisione adscendens bractea longior & calyci concolor, nunc in ligulam extra racemum prominet & antrorsum inflectitur, sic præ se ferens lacinia cujusdam calycinæ longioris imaginem. In hortum introductus hic frutex, crescensque ad latus prioris, sterilis mansit; dum ille fructus largiatur quotannis. Figura prima fruticis sterilis ramum exhibet florentem. Altera hujus florem vitrea lente auctum, ut petala prodeant, quæ ob parvitatem nudis oculis ægre dignoscuntur, hinc in ramo omissa. Tertia florentem fertilem sistit, eundemque fructibus maturis onustum quarta.

TABULA QUADRAGESIMA OCTAVA.

RANUNCULUS FALCATUS. *Linn. syst. pag. 380.*

Ranunculus testiculatus. *Crantz. fasc. pag. 119.*

Ranunculus alopecuroides, Ajugæ foliis. *Bocc. sic. 28.*

Ranunculus ceratophyllus, feminibus falcatis in spicam adaëtis. *Moris. hist. 2. pag. 440. s. 4. t. 28. f. 22.*

Melampyrum luteum minimum. *Baub. pin. 234.*

Melampyrum perpusillum luteum. *Lob. ic. 37.*

Plantula trimestris, tota subincana & hirsutula, pusilla, interdum vix uncialis, ad summum quadriuncialis, ex radice tenui fibrosa albidaque folia promit ex longiusculo & plano petiolo varie multifida, laciniis omnibus sublinearibus planis & obtusiusculis. Prima duo plantulæ folia sunt tamen lanceolata & integerrima. Scapi aphylli, plerumque plures, uniflori & suberecti folia ut plurimum superant. Calyx erigitur. Petala lutea maculam vix manifestam ad unguem gerunt, ex ovato oblonga, rarius expansa, at plerumque erecta, in germine celeriter incrementum diu adhuc perstant emarcida. Hoc subrotundum retinet quandoque formam suam in individuis valde pusillis aut in scapis tardioribus, plerumque autem excrescit in fructum oblongum, ratione plantulæ maximum, constantem feminibus triangularibus, superne bifidis, dorso seu inferne emittentibus processum falciformem acuminatum & horizontaliter porrectum, a quibus processibus fructus spinosus evadit. Floret Aprili & initio Maji. Sub finem Junii raro vestigium plantulæ superest. Aggeres, arva & ruderata incolit.

TABULA QUADRAGESIMA NONA.

EUONYMUS VERRUCOSUS. *Scop. carn. 1. pag. 166.*

Euonymus tenuifolius. *Linn. spec. pl. pag. 286.*

Euonymus secundus. *Clus. hist. 57.*

Euonymus flore phæniceo. *Baub. hist. 1. part. 2. pag. 203.*

Euonymus granis nigris. *Baub. pin. 428.*

Euonymus pannonicus. *Tabern. herb. part. 3. p. 754.*



Optime clarissimus Scopoli tres *Euonymos*, in Austria ac finitimis provinciis obvios, Linnæo pro varietatibus habitos, Clusii aliorumque sententiam secutus, in tres distinctissimas species separavit, quas inter hæc facillime se distinguit ramis verrucosis & seminibus atris; illæ ramis glabris dignoscuntur ab invicem capsulis in vulgari obtusis, in latifolio in marginem acutum excurrentibus, aliisque insuper momentis. Noster autem hic occurrit sub fruticis diffusi forma bi- vel tricubitalis, aut etiam sub forma arbusculæ decempedalis, trunco brachiali. Rami sunt teretes, sæpius oppositi; juniores virent cum maculis subovalibus ex fusco flavescentibus, totidem veluti guttis gummosis induratis adpersi. Hæ maculæ in adolescentibus ramis in verrucas elewantur fuscas aut nigricantes duras persistentes corticemque valde exasperantes. Folia sunt pollicaria, interdum bipollicaria, late lanceolata, glaberrima, opposita, acuta, ferrulata, breviter petiolata. Pedunculi filiformes & axillares ut plurimum sustinent flores duos tresve, rarius per dichotomiam divisi plures. Flores omnes sunt retrandi & retrapetali. Pentapetalum observavi nullum; tripetalum rarissime unum alterumve. Petala subrotunda & plana cum aliquo virore flavescent, suffusa simul colore sordide sanguineo. Calyx pallet magis. Antheræ didymæ. Filamenta sunt vix ulla, sed horum loco breviter tubercula. Stylus etiam vix ullus, & stigmati vices gerit tuberculum simile & paulo majus. Capsula quadriloba, glabra, obtusa, quadrilocularis & flavescentia continet semina ovata, hinc atra, illinc pallida, pulpæ coccineæ semiinvoluta, quæ capsulis expansis excidunt sub finem Augusti; dum flores aderant Majo & Junio. Crescit in sylvis montosis.

TABULA QUINQUAGESIMA.

ROSA RUBIGINOSA. Linn. mant. pag. 564.

Prætervisam Botanicis Austriacis stirpem primus vir amicissimus Franciscus de Mygind detexit, quibusdam lapideis montosisque in locis mixtim cum *Rosa canina* sat copiose crescentem. Synonymum nullum adducere ausus fui. Halleri rosam, in *Historia stirpium helveticarum* numero 1103 descriptam, eandem credidissim cum hac austriaca, nisi autor celeberrimus suæ fructibus maturis colorem nigrum adscripsisset. Est autem frutex habitu *Rosæ caninæ*, a qua ilico distinguitur foliis obtusioribus, minus nitentibus, dorso glandulis rubiginosis adpersis, & odoratissimis. Ramos glabros aculei armant cinerascetes, acuminati, & recurvi; modo plures, modo pauci, in nonnullis etiam ramulis absentes. Foliola sunt utrinque tria vel duo cum impari terminante, plus minus pollicaria, quandoque dumtaxat semipollicaria, argute & subduplicato-ferrata, ovata, facie glabriuscula & sine nitore virentia, dorso pallida & villosa; petiolis aculeatis. Pedunculi sæpius ramosi & inermes gerunt paucos flores. Germina sunt ovata, & aut inermia, aut paucis aculeis armata. Calycis foliola plerumque aliqua pinnatifida sunt. Petala, calycem vix superantia, sunt obverse cordata, planiuscula, & incarnata cum ungue albo. Antheræ luteæ. Styli ex flavo virent. Foliolorum, calycis & stipularum dorsum atque margo, tum etiam petioli atque pedunculi instruuntur pilis glandulosis capitatis viscosis & apice rubiginosis, unde odor plantæ pendere videtur, & qui foliorum margini dum insident, hæc fingunt magis duplicato-ferrata. Singularis ille est, aliquid de rosis habens, & in quo de aromate foliorum juglandis plurimum deprehendere mihi videor. Nec multum diversus flori odor est. Fructus est ex subrotundo ovatus, nitidus, aut plane inermis, aut aculeis rigidiusculis nec pungentibus iisque paucis armatus, maturus semper colorem habens aurantiacum, nec unquam in nigredinem tendentem. Floret Junio & Julio. Fructus maturefcunt Septembri.



TABULA QUINQUAGESIMA PRIMA.

ASTRAGALUS PILOSUS. *Linn. syst. pag. 498. Crantz. fasc. pag. 418.*

Gmel. fib. 4. p. 39. t. 16.

Astragalus caule erecto, ramoso, ex alis spicifero, filiquis teretibus. *Hall. hist. helv. num. 411.*

Astragalus villosus, erectus, spicatus, floribus flavescentibus. *Amm. ruth. num. 166. pag. 125.*

Cicer montanum, lanuginosum, erectum. *Baub. pin. 347. prodr. 148.*

Onobrychis tertia. *Clus. hist. CCXXXIX?*

Onobrychis spicata, floribus pallidis, nigris radiis notatis. *Baub. pin. 350?*

Radix albicans, multiceps, & ad minus biennis, caules producit sæpe plures, pedales vel etiam duplo altiores, basi ipsa decumbentes, cæterum erectos, teretes, vix striatos, cum virore purpurascens, cinereisque pilis hirsutos. Foliis pinnatis & utrinque pilosis ad latus adstat stipula lanceolato-acuminata, hirsuta & integerrima. Costa antice canaliculata est, dorso convexa. Foliola oblonga, latiora vel angustiora, superiora paulatim decrefcentia, longiora uncialia, acuta vel obtusa, etiam setula terminante quædam aucta, brevissime pedunculata, pallide virentia, numero variant a novem ad plura paria cum impari, ita tamen, ut undecim paria numeraverim frequentius. Nullum caulem vere ramosum videre contigit, sed increfcente caule ex foliorum alis pedunculi adscendunt longi, teretes, parum striati, pilosi & erecti, qui spicam florum gerunt densam plerumque, oblongam, ab uno ad tres polices longam. Bractæ sunt angustæ, hirsutæ, acuminatæ & longitudine calycis. Pedicelli omnino brevissimi. Calycis pallidi & hirsuti lacinie virentes lineares & acutæ tres inferiores longitudine superant binos superiores. Corollæ ochroleucæ & glabræ vexillum in medio saturatius flavet, nec ullas exhibuit mihi in plurimis speciminibus meis striae sive flavas, sive nigras. Nec Hallerus harum mentionem fecit, nec in prodromo Bauhinus, ut hi viri cum Linnæo Clusiani synonymi non meminerint, quin ipse Caspar Bauhinus a sua diversam Clusianam plantam crediderit, quo minus congrua Clusiana icon etiam contribuisse videtur. Hinc ego quoque Clusium in synonymia dubitanter excitavi. Alæ porro supra unguem tenuem longe hamatæ carinam excedunt, ipsæ vexillo breviores. Carina obtusa in aristam desinit. Legumen teres, leviter compressum, dorso sulcatum, pilosum, erectum, terminatum in stylum persistentem retrorsum unci adinstar reflexum rigidumque semina continet plura. Folia sapore gaudent amaro & ingrato. In montosis apricis tenui gramine obstitis crescit paucis locis, nec frequens. Floret Junio & Julio. Semina maturefcent Augusto.

TABULA QUINQUAGESIMA SECUNDA.

DIANTHUS ALPINUS. *Linn. syst. pag. 590.*

Caryophyllus sylvestris secunda. *Clus. hist. 282.*

Caryophyllus sylvestris, flore magno inodoro hirsuto. *Baub. pin. 209.*

Caryophyllus pumilus latifolius. *Baub. pin. 209. prodr. 104.*

Prata subalpina, inque ipsa summa alpium juga adscendens, haud infrequens incolit plantula hæc elegantissima, pro varia foli altitudine diverso æstatis tempore florens, & coli in horto aptissima, ubi cespitosa adhuc magis evadit. Radix tenuis, fibrosa, ramosa, multiceps & perennis cauliculos profert plures, erectos, glabros, simplicissimos, duas tresve uncias altos, superne interdum purpurascens, flore unico, rarissime pluribus terminatos. Folia sunt sublinearia, plana, obtusiuscula, modo latiora, modo angustissima, gla-



glaberrima, opposita, versus radicem magis conferta, pollicem raro æquantia, subamari-
cantia. Squamæ sub calyce adstant oppositæ duæ lanceolatæ, acuminatæ, calyci con-
colores, eodemque paulo breviores. Foliola caulina summa, flori dum sunt viciniora, squa-
marum aliarum exteriorum par mentiuntur. Calyx ventricosus atra purpura tingitur.
Petala magna, inodora & eleganter colorata speciosum florem efficiunt. Sunt autem cre-
nata, ex purpureo rubra, rarius pallida, supra unguem pilosa & ex saturata purpura cine-
reoque variegata. Semina sunt atra.

TABULA QUINQUAGESIMA TERTIA.

RHAMNUS SAXATILIS. *Linn. syst. pag. 197. Jacq. enum. vindob. pag. 212.*

Spina infectoria pumila secunda. *Clus. hist. 112.*

Inter saxa se diffundens radix, ut evelli nequeat, truncum gignit, qui ilico in ramos dis-
pescitur teretes, diffusos, partim erectos, partim horizontaliter protensos, etiam pro-
cumbentes. Materies dura & albida cortice circumdatur cinereo aut fuscescente. Rami
seniores terminantur in spinam subulatam rigidam & pungentem. Ramusculi novelli viri-
des subpubescunt. Folia prodeunt ex gemmis una cum floribus confertim plura; in ra-
mis autem junioribus inordinato alternantur situ. Sunt vero lanceolata vel ovata, basi at-
tenuata, breviter petiolata, ferrulata, obtusa vel acutiuscula, glabra & ad summum un-
cialia. Petiolo utrinque adstat stipula fetacea fusca & caduca. Ex eodem loco, ex quo
rami ejusdem anni virides oriuntur, etiam aggregatim prodeunt pedunculi tenues uniflori
& foliis breviores. Hi in aliis individuis multo spectantur numerosiores, floresque produ-
cunt omnes steriles; in aliis pauciores, sed omnes fertiles: utrosque apetalos & cum vi-
rore flaventes; structura diversos. Sterilium calyx paulo longior ex tubo campanulato in
limbum expanditur quadrifidum, patentem, planum, tubo ferme duplo brevior & sub-
acutum. Supremo tubo adnascuntur stamina quatuor, erecta, quibus singulis squamula
pone accumbit oblonga & brevior. Germen illis est subrotundum & parvum, quod in-
struitur stylis geminis brevibus ac veluti truncatis. Prætervisis subsequis, hos fertiles an-
tea credideram, unde pronuntiaveram flores hermaphroditos. In floribus fertilibus tubus
calycis est brevior limbo magis erecto. Staminum & squamularum vestigium nullum ob-
servatur. Germen tubum calycinum æquans in stylos desinit geminos, subulatos, super-
ne reflexos, & longitudine calycis. His baccae succedunt subrotundæ, molles, nitidi-
simæ, piselli magnitudine, pellicula vestitæ atra, refertæ pulpa glutinosa, saporis cum ali-
qua dulcedine ingrati, nec amari, virescente, exsiccata parumper & corrugata chartam
tingente ex cæruleo purpurascentem. In qualibet bacca continentur semina terna, vel
tantum bina, ovata, nitida, subfuscescentia, inclusa singula arillo proprio bivalvi. Cre-
scit in collibus saxosis apricis, florens Majo, & fructus dans maturos Julio & Augusto.
Exhibui in tabula ramum majorem florentem sterilem; minorem fertilem, cum florentem,
tum fructescentem: deinde semen utrinque visum, & arillum semine jam excluso expan-
sum. Tandem florem auctum utrumque, scilicet fertilem, cujus hinc latus claudit flos
sterilis, inde hujus pistillum.

TABULA QUINQUAGESIMA QUARTA.

CAUCALIS GRANDIFLORA. *Linn. syst. pag. 205. mant. pag. 350.*

Crantz. fasc. pag. 224.

Caucalis umbellis planis, petalis extremis & involucris maximis. *Hall. hist. helv. num.*



Caucalis albo flore. Clus. hist. CCI.

Caucalis arvensis echinata, magno flore. Bauh. pin. 152.

Daucus grandiflorus. Scop. carn. 1. pag. 189.

Echinophora flore magno. Riv. pentap. irr. tab. 25.

Echinophora pycnocarpus. Col. ecphr. 1. pag. 91. t. 94.

Ex radice annua, albida, subfusiformi, odore aliquo dauci prædita, tandemque subacri, caulis exoritur teres, striatus, glaber, flexuose erectus, ac ramosus. Folia glaberrima, aut valde parum hirsuta, & multiplicato-pinnata petiolo innituntur inferne membranaceo & striato, superne tereti atque antice sulcato. Pinnulæ sunt exiguae, lanceolatae, confluentes in foliola pinnatifida. Folia summa sæpe constant sola vagina subulata, aut hac in foliolum unum alterumve sublineare longumque terminata. Involucris universalis foliola sunt ut plurimum quinque, ex angusto lanceolata, acuminata, virentia cum oris albidis, inæqualia & persistentia. Partiale fere sena foliola habet, prioribus consimilia, quorum tria exteriora duplo longiora sunt. Radii a sex ad novem constituunt umbellam planam. Flosculi albi & inodori, qui in umbellulis exterioribus externe locantur, pauci nec omnes, petalum habent exterius reliquis multo majus & ad basin ferme usque bifidum cum lacinia intermedia exigua lineari inflexa; laciniis ex oblongo obverse ovatis, planis & obtusissimis. Cæteris exterioribus corollulis petalum idem duplo dumtaxat majus est. Interiorum petala sunt æqualia erectaque cum apicis antrorsum incurvati lateribus sursum reflexis. Antheræ pallent. Styli persistunt in fructu divaricati. Semina sunt ovata, compressa, extus striata & setis numerosis rigidis atque uncinatis armata; quæ maturescunt Septembri, dum floruit æstate. Crescit in agris, inter segetes, inque asperis locis. In margine tabulæ conspiciuntur in magnitudine naturali fructus integer, semen ex interna parte, idemque discissum transversum. Tum flos disci auctus ad quadruplum, masculus toto carens pistillo, hinc sterilis & abortans, calyce subquinquesido præditus, staminibus nedum omnimode evolutis. Tandem eodem in omni dimensione volumine auctus flos radians hermaphroditus, germine donatus hirsutissimo proprioque etiam calyce.

TABULA QUINQUAGESIMA QUINTA.

SESELI ANNUM. Linn. syst. pag. 215. Jacq. enum. vind. pag. 26. Scop. carn. 1. pag. 213.

Seseli bienne. Crantz. fasc. 204.

Seseli foliis linearibus, triplicato-pinnatis, caule vaginoso. Hall. hist. belv. num. 762.

Fæniculum sylvestre, annuum, Tragoselini odore, umbella alba. Vaill. par. pag. 54. tab. 9. fig. 4.

Pimpinella tenuifolia. Riv. pentap. irr. tab. 82.

Radix foris nigricat, intus alba; primo anno folia radicalia sola, altero caulem profert, atque peracto fructu perit; ex tenui fusiformis, simplex aut ramis aucta, crassitie & longitudine admodum varians pro statūra plantæ, sapore prædita aliquo petroselini, quem sequitur moderata acredo, salivam ciens; vertice capillato a foliorum præteritorum reliquiis. Caulis fere semper unicus in planta sylvestri, erectus, altitudine admodum diversus, scilicet a bipollicari ad cubitalem, teres, striatus, purpureus, vix manifeste villosus simulque nitens, in minoribus individuis simplicissimus umbella unica terminatur, in majoribus etiam alios plerumque simplices ramulos umbelliferos ex alis foliorum producit. Petioli, imprimis caulini, valde vaginantes, membranacei, & striati, folia sustinent multiplicato-pinnata, erectiuscula, facie glabra, dorso marginibusque villis obsita, vix nudo oculo percipienda, virentia aut sanguinea; pinnulis lanceolato-linearibus, acutis, planis.

In-

Involucris universalis foliolum adest quandoque unicum, sæpius nullum. Particulare pluribus constat lanceolatis, acuminatis, margine membranaceis, longitudine umbellulæ. Umbella universalis convexa & densa componitur ex particularibus a decem ad triginta confimilibus. Petala sunt alba, vel purpurea, vel ex utroque colore mixta, ovata cum apice inflexo, & hinc interdum, nec semper cordiformia. Antheræ flavent. Styli albescent. Flores omnes fertiles femina ferunt fusca, ovata, parva, hinc plana, illinc gibba atque striis tribus elevatis notata, lateribusque insuper membrana exigua aucta. Ad latus depingitur flos auctus; tum semen in naturali statu, idemque auctum cum subjuncta discissa transversim facie. Crescit passim in collibus montibusque apricis herbidis. Floret Augusto & Septembri.

Quum tabulæ operis Riviniani non omnibus in exemplaribus eodem compactæ ordine sint, hinc occasione hujus plantæ monendus est lector, citasse me has tabulas illo in ordine, quem habet exemplar in bibliotheca Cæsarea publica asservatum. Tum etiam duplici modo posse considerari ætatem plantarum biennium, quas tales voco, quando non eodem anno germinant & fructum ferunt, etiam si autumno forte primi anni ex semine excrecant, proximique æstate senescant, atque sic vix duodecimum ætatis mensem absolvant.

TABULA QUINQUAGESIMA SEXTA.

Phellandrium mutellina. Linn. syst. pag. 213. Jacq. enum. vind.

pag. 223. Scop. carn. 1. pag. 216.

Ligusticum Mutellina. Crantz. fasc. pag. 198.

Seseli foliis duplicato-pinnatis; pinnulis semipinnatis, lobulis lanceolatis. Hall. hist. belv. num. 763.

Seseli humile alpinum, umbella purpurascens. Moris. hist. 3. pag. 287.

Daucus montanus. Clus. hist. CXCVIII.

Meum alpinum, umbella purpurascens. Baub. pin. 148.

Mutellina. Cam. epit. p. 8. Baub. hist. 3. part. 2. pag. 66.

Plantula tota glabra est. Radix longa, plerumque tenuior, extus fusca, intus alba, saporis dauci cum juncta levissima acredine, ad saxum allisa ramos longos de latere propellens, in caput abit crassius unum alterumve fetosum, & per plures vivax annos durat. Culta in horto inter alpinas facilius provenit, valdeque multiceps & ferme cespitosa evadit; sola autem capita annosiora caulem emittunt. Hic semipedalis vel etiam pedalis erigitur, teres, striatus, simplex, interdum ramulo auctus. Folia sunt multiplicato-pinnata, nitida, facie saturate virentia, dorso lætius; foliolis oblongis, pinnatifide incis; lobulis acutissimis, diversæ latitudinis in diversis. Costa teres & antice sulcata ortum ducit ex petiolo basi membranaceo & vaginante. Pleraque folia radicalia sunt; nam in caule unicum vel duo habentur; etiam nullum. Umbellæ universalis ex plüsculis radios enatæ involucrum aut unifolium est, aut nullum, rarissime fit ex pluribus. Partialis umbellæ involucrum componitur ex foliolis tenuibus, radios æquantibus, numero variis quinque sex vel septem, deficientibus sæpe interioribus. Est autem umbella densa & convexa. Flores odorati petala habent rosea vel magis rubra, subovata, acuta, exteriora pauxillo majora, cum apicibus sine crena notabili inflexis, ut vix figura cordata exsurgat. Filamenta corollam superant, antheris donata purpureis. Paucis floribus germen deest, qui abortant. Perianthium proprium quidem quinquedentatum minimumque adest, & in fructu persistit, nudo tamen vix oculo conspiciendum. Fructus ex oblongo ovatus dispe- scitur in femina ovato-oblonga, fusca, hinc plana, illinc quadrifurcata & convexa. Cre-



scit frequens in alpium jugis herbidis, florens a Junio ad Septembrim, semina autumnoperciens. In margine est flos auctus; semen in volumine nativo; tum idem auctum, utrinque conspectum.

TABULA QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

DIGITALIS OCHROLEUCA.

Digitalis foliis calycinis lanceolatis, galea bifida, faucibus immaculatis. *Hall. hist. helv. num. 331.*

Digitalis lutea. *Tabern. vol. 2. pag. 270.*

Digitalis flore luteo majore. *Riv. monop. irr. tab. 104.*

Digitalis flore luteo. *Besl. syst. æst. O. 1. fol. 1. fig. 3.*

Digitalis purpureæ Linnæanæ varietas flore luteo. *Jacq. enum. vindob. pag. 111.*

Digitalis luteæ Linnæanæ varietas. *Crantz. fasc. pag. 354.*

Radix perennat & evadit multiceps. Caulis non ramosus, hirsutus, subangulatus, foliosus, & bipedalis erigitur. Folia sunt sessilia vel semiamplexicaulia, sublanceolata, valde elongata, aut breviora & lata, acutiuscula, ferrulata, confertim & inordinate alternantia, dorso & marginibus magis minusve hirsuta, facie sæpe glabra. Summa bractearum sunt loco, emittuntque de sinu suo pedunculos solitarios & breves, florem propendulum gerentes. Racemi apex incurvatur ante florescentiam. Foliola calycis sunt ex angusto lanceolata, hirsutula & obtusiuscula. Corolla ampla est fere adinstar Digitalis purpureæ, pallide lutea, hirsuta, intus sub labio inferiore pilosa, & venulis sive lineolis fuscis interruptis atque undulatis, quæ interdum deficiunt ex integro, inscribitur. Labium inferius dispescitur in tres lacinias triangulares & acutas. Superius valde variat, modo simpliciter emarginatum, modo tridenticulatum, interdum etiam eo usque bifidum & acutum, ut vix cedat inferiori. Antheræ sulphuræ & didymæ crucis sub forma mutuo accumbunt, quod idem observatur in pluribus hujusce classis floribus. Filamenta toti tubo accrescunt; hinc duo longiora fundo faucis incumbunt atque antrorsum arcuantur. Stylus pubescit. Capsula ovata obducitur pauca hirsutie. Variis in locis crescit, & ad subalpina adscendit. Floret hic Augusto, alibi jam Junio. Est omnino hæc planta diversissima a Digitali lutea Linnæi, synonymisque ibidem allatis. Hinc optime illustris Hallerus separavit illas, confusionemque jam subortam sustulit. Prudenter etiam celeberrimum Linnæum in synonymia suæ Digitalis luteæ nullum adduxisse, videmus, nomen, quod competit huic Digitali nostræ. Utraque planta in hortis culta habitum servat proprium. Proponuntur in margine fructus, & petali longitudinaliter discissi ambæ partes.

TABULA QUINQUAGESIMA OCTAVA.

ANTIRRHINUM ALPINUM. *Linn. syst. pag. 410. Scop. carn. 1. pag. 442. Crantz. fasc. pag. 306.*

Antirrhinum caule procumbente, breviter spicato, foliis verticillatis. *Hall. hist. helv. num. 338.*

Linaria tertia styriaca. *Clus. hist. 322.*

Linaria quadrifolia supina. *Bauh. pin. 213.*

Radix perennis & fibrosa cauliculos profert basi ramosos & tenuiores, superne incrassatos, a duobus ad septem pollices longos, adscendentes, herbaceos, teretes & glabros. Hi ornantur foliis ex angusto lanceolatis, integerrimis, aveniis, crassis, glaucis;

in-



infinis minoribus plerumque, & quaternis; summis solitariis vel oppositis vel ternis. Flores in extremis caulibus congestum racemum exhibent, propriis suffulti foliolis, elegantissimi. Corollæ cum purpura saturate violaceæ labium superius erigitur, planum, ferme semibifidum, inferiori longius; laciniis oblongis & obtusis. Inferius patens & planum dividitur in tres lacinias subrotundas & æquales. Discus prominulus & sulcatus aureo colore conspicuus est. Calcar subulatum acutum longumque leviter incurvatur. Faux ante discum villis obducitur. Filamenta albida antheras gerunt flavas. Calycis foliola sunt linearia, acuta & subæqualia. Capsula apice sexvalvis femina includit nigra plana & marginata. Floret per totam æstatem. In saxosis udis alpium crescit. Plantula amaro ingratoque sapore gaudet. Ad marginem depingitur capsula, cujus intra dehiscantis superne valvulas dissepimentum stylo emarcido coronatum in conspectum prodit. Tum adstat semen.

TABULA QUINQUAGESIMA NONA.

VERONICA URTICÆFOLIA.

Veronica foliis hirsutis, nervosis, sessilibus, cordatis, lanceolatis, ferratis, floribus racemosis, longe petiolatis. *Hall. hist. belv. num. 535.*

Veronica maxima. *Dal. lugd. p. 1165.*

Veronica maxima latifolia, seu quercus folio. *Moris. hist. 2. p. 322. s. 3. t. 23. f. 18.*

Tota planta inodora est, ac ferme insipida. Radix fibrosa perennat, multosque generat caules, semper simplicissimos nulloque ramo auctos, pedales aut altiores, erectos aut parum inclinatos, teretes, villosos, inferne sæpe purpurascens, strictos. Folia sibi opponuntur lanceolata, modo angustiora, modo magis lata, ad basin vix dicenda cordata, sessilia omnia, acute ferrata, rugosa, dorso nervosa, utrinque brevibus pilis obsita, in acumen producta exceptis inferioribus magis obtusis. Ex alis superiorum racemi attolluntur longi, tenues, stricte patentes. Pedunculi proprii filiformes plurimi & distantes stipulis suffulciuntur lineari-lanceolatis brevibusque. Calycis foliola sunt quatuor, æqualia, subovata, obtusa, villosa, & petalo duplo breviora. Hujus pallide carnei laciniæ sunt obtusæ & subrotundæ, quarum superior duplo latior inferiore purpureas antice strias gerit. Lateralium latitudo intermedia est. Tota corolla pilis minimis, nudo oculo haud distinguendis, villosa est. Capsula orbiculata, emarginata, fusca, & parum vel vix villosa, continet semina pauca flavescentia. Floret Majo & Junio. Semina perficit Julio & Augusto. Crescit rara in sylvis. Capsula matura cum semine seorsim exhibetur. Halleri planta est, ipso consentiente in litteris illustrissimo viro. Inter suas Veronicas non reperiri, celeberrimus Linnæus mihi asseruit. Novo itaque titulo triviali plantam donavi.

TABULA SEXAGESIMA.

VERONICA PSEUDUCHAMÆDRYS.

Veronica latifolia. *Crantz. fasc. 348.*

Veronica foliis cordatis, retusis, nervosis, ferratis; racemis longissimis. *Hall. hist. belv. num. 537. varietas latior β.*

Teucrium quartum. *Clus. hist. 349.*

Chamædrys spuria major altera, sive frutescens. *Baub. pin. 248.*



Radix teres, calamus ferme crassa, fibrillis aucta numerosis, extus ferruginea, intus albida, & subamaricans, horizontaliter repit, & plures ad parvas distantias annuatim e nodis proferre caules solet. Hi plerumque simplicissimi, ex alis superioribus raro unum alterumve ramulum emittentes, atque hunc plerumque sterilem, ex basi leviter inclinata adscendunt, aut etiam sine ulla inclinatione eriguntur, pedales, in fruticetis densioribus interdum duos tresve pedes alti tuncque debiles, alias firmi, stricti, teretes, villosi, modo flexuosi, modo erecti. Folia opponuntur ad intervalla in toto caule, sessilia omnia præter sola infima brevissime petiolata, atrovirentia, ovata, ad basin plerumque cordata, obtusa vel acuta, inæqualiter serrata, sæpius rugosa, facie nitida, dorso plus minus subvillosa, sæpe ut vix animadverti hirsuties possit. Ex superiorum foliorum alis exeunt racemi plerumque duo, aut tres, etiam unicus, rarius quatuor vel quinque; & pergit postea ultra elongari caulis foliosus & sterilis. Racemi villosi stricte eriguntur, semipedales vel longiores evadunt, & flores locant dense positos numerosos brevissimeque pedunculatos. Calycis foliola sunt quinque, lanceolata, acuta, glabriuscula, & inæqualia; infima duo duplo longiora lateralibus; & supremum minimum. Corollæ elegantis & amplæ tubus albet; limbus autem eleganter cærulescit cum striis saturationibus. Stamina & stylus limbo petali concoloria sunt. Pollen antherarum flavescit. Stigma pallet. Capsula rotundato-obverse cordata, obtusa, glabraque, continet semina pauca ex fusco flaventia. Crescit passim in fruticetis, sepibus, & ad margines sylvarum. Floret Junio & Julio. Tabula sistit plantam mediocris staturæ florere incipientem; & separatim capsulam & semina. Hanc plantam in Observationibus meis pro Veronica latifolia Linnæi habueram, congruente determinatione; monente autem in litteris illustrissimo viro, non esse, distincto sub nomine proposui. In prata atque herbida magis descendens, ad Veronicam chamædryn propius accedit, facile tamen semper distinguenda pluribus notis.

TABULA SEXAGESIMA PRIMA.

HERACLEUM AUSTRIACUM. *Linn. syst. pag. 210. Jacq. enum. vind. pag. 216. Grantz. fasc. pag. 153. tab. 1.*

Sphondylium austriacum. *Scop. carn. 1. pag. 204.*

Sphondylium alpinum parvum. *Bauh. pin. 157. prodr. 83.*

Radix perennis, extus fuscescens, intus albida, semipedalis vel multo longior, vix aucta fibris, tenuis, & circularibus notata rugis, sapore gaudet tandem parum acri & exsiccante. Caulis recta adscendit plerumque unicus, striatus, unum alterumve pedem altus, ferme glaber, simplicissimus aut non admodum ramosus. Folia valde variant, omnia tamen pinnata ex foliolis utrinque duobus vel tribus cum impari, vel rarius ternata. Petiolo insident tereti, antice sulcato, basi in membranam terminato amplexicaulem. Foliola sunt serrata, utrinque scabra, hirsuta, sessilia; caulina acuta, lanceolata, interdum ad basin appendiculata; radicalia magis rotundata; foliolo extimo in plerisque magis vel minus trilobo. Umbella universalis convexula, ex radiis composita a quatuor ad quindecim, suffulcitur involucri foliolis paucis aut nullis. Involucrum parziale fit ex foliolis circiter senis linearibus, exterioribus longioribus. Petala sunt alba. Germina villosa. Flosculi extimi diffformes & plani petala tria exteriora habent bifida, maxima, lateralium lobo interiore sæpe obsoleto; duo petala interiora autem parva & emarginata. Flosculis centralibus petala sunt emarginato-cordata, nec hæc omnimode æqualia. Hi plerique masculi abortant, ultra quos tunc elongantur hermaphroditi in radio fertiles, in quibus germen augefcit celeriter, antea minutum. Semina cum Heracleo Sphondylia conveniunt, dumtaxat paulo minora. In apricis saxosis herbidis alpinis crescit frequens, florens a Junio ad Septembrim. Foliis pinnatis distinguitur ab Heracleo alpino diversissima planta. In



tabula etiam sistitur folium aliquod ternatum ex alio individuo ; tum flos radians ex amplioribus speciminibus, & semen.

TABULA SEXAGESIMA SECUNDA.

ATHAMANTA CRETENSIS. *Linn. syst. pag. 208. Jacq. enum. vind. pag. 218.*

Libanotis cretensis. *Scop. carn. 1. pag. 192.*

Libanotis Daucus creticus officinarum. *Crantz. fasc. 219.*

Libanotis foliis hirsutis, triplicato - pinnatis, lobulis profundissime bipartitis. *Hall. hist. helv. num. 745.*

Daucus creticus. *Chus. hist. CXCVIII. Camer. epit. 536.*

Daucus alpinus multifido longoque folio, sive montanus umbella candida. *Bauh. pin. 150.*

Myrrhis annua, femine villosa brevior. *Moris. hist. 3. p. 302. s. 9. t. 10. f. 9. quoad figuram.*

Tota planta in editioribus alpibus hirsuta est, in eorundem descensu glabrior, in hortu culta, folis feminibus exceptis, glaberrima & nitida. Radix subfusiformis, calamum vel pollicem crassa, longissima ut vix evelli integra possit, rugis circularibus notata, foris nigricans, intus albida, sapore dauci prædita aliquo & vix acri, atque perennans, in rupium fissuris alpinarum nascitur haud infrequens; nullo coronatur capillitio, sed foliorum præteritorum emarcidis integris vaginis; raris fibrillis vel nullis augetur; inferiore extremitate aut simplex manet, aut abit in ramos; & superne plerumque multiceps evadit. Folia radicalia ex vaginis latis purpurascens & caulis basin occultantibus oriuntur, multiplicato-pinnata, circumscriptione ex oblongo triangulari; pinnulis linearibus, brevibus, acutis, planis, angustis quidem, sed nunquam vere capillaribus. Caulina similia sunt, sed minus divisa. Ramea summa sæpe opposita. Caulis firmus, striatus, teres, semipedalis vel brevior, rarius altior, minus quam folia villositatem deponens, ad ipsam basin vel supra illam, rarissime tamen excedendo unam tertiam altitudinis partem, ramos paucos vel plures emittit simpliciores. Umbellæ planæ eriguntur. Involucrum universale adest aut nullum, aut factum ex foliolis ab unico ad sex ex angusto lanceolatis; aut etiam loco horum inveni folium bipinnatum. Involucris partialis foliola sunt pauca a quatuor ad septem, lanceolata, acuminata, & concava. Petala alba, subæqualia, dorso hirsutula, propter apicem inflexum sunt cordata. In rameis umbellis interdum pistillum ex integro deficit, atque hi flores abortant. In primaria umbella intermixtos similes flores etiam vidi. Semina ovalia, hirsuta, hinc concava, illinc convexa & quadrifurcata cum angulis & sinibus obtusis, cinerascens, stylis persistentibus coronata, odoris expertia, sapore pollent aromatico, tandem acri. Floret Julio & Augusto; culta Junio. Sistuntur ad latus semen utrinque conspectum, cum aucti ejusdem sectione transversa; & flos auctus. Videtur mihi Daucus foliis fœniculi tenuissimis Casparis Bauhini, qui est Libanotis rupestris clarissimi Scopoli, & forte Athamanta annua Linnæi, ab hac nostrate planta differre specie propter constans discrimen cum caulis in rupestri ad summum usque ramosi & subdivisi, tum pinnularum capillarium. De rupestri quidem Morisonus loqui videtur, sed ejus figura, quam manifeste ex Camerariana truncata confecit, pertinet potius ad nostram stirpem. Utrum femina Dauci cretici officinalis ex nostra specie desumantur, hic ignoramus. Distinguere illa a feminibus plantæ nostratis nullo potui momento.



TABULA SEXAGESIMA TERTIA.

CHÆROPHYLLUM BULBOSUM. *Linn. syst. pag. 214. Crantz. fasc. 189.*

Myrrhis radice bulbosa, caule inferius hirto, superne lævi, foliis triplicato-pinnatis, acute incis. *Hall. hist. helv. num. 752.*

Myrrhis caule inferius hirsutissimo, superne glabro. *Willich. disp. pag. 7.*

Myrrhis fætens. *Riv. tab. 49.*

Myrrhis annua, semine striato lævi, tuberosa nodosa coniophyllon. *Pluk. alm. 259. t. 206. f. 2.*

Cicutaria bulbosa. *Bauh. pin. 161.*

Cicutaria pannonica. *Clus. hist. CC.*

Cicutaria odorata bulbosa. *Bauh. hist. 3. part. 2. pag. 183.*

Ex deciduis feminibus nova plantula autumnno enascitur, cujus radix proximo vere parvulum napum sistit, carnosum, albidum, insipidum, & edulem; qui foliis novellis interioribus non abscissis coronatus in foro Viennensi oleraceo vendi solet, edique coctus cum oleo & aceto instar lactucæ. Ex hoc fibrillis aucto æstate caulis attollitur rectus, a quatuor ad septem pedes altus, teres, virens & punctis maculisque ferrugineis adspersus, inferioribus duobus tribusve articulis per pilos albos hirtis, reliquis superioribus glabris & infra folia magis minusve tumentibus, fistulosus, basi digitum calamum vel pollicem crassus, plerumque dumtaxat superne ramosus, quia in fruticetis crescere amat, extra illa aut culta etiam multo evadens ramosior. Folia sunt multiplicato-pinnata, orta ex vagina membranacea & amplexicauli; pinnulis pinnatifide incis, acutis, supra glabris, una cum petiolis dorso pilis albis vagis longisque adspersis; laciniis in foliis ramorum caulisque superioris angustissimis, in caule inferiore latioribus, cujusmodi partem aliquam ad latus depingi curavi. In quibusdam individuis pinnarum lacinias vidi ferme capillaceas. Involucrum universale adest nullum, aut unifolium. Particulare absolvitur paucis foliolis acutis. Umbella universalis parum convexa ex particularibus consimilibus componitur. Petala alba & inæqualia sunt obverse cordata cum apice attenuato inflexo. Stamina pallent. Semen duas tresve lineas longum est aciculare, fuscum, hinc planum cum sulco medio, illinc convexum & quinque striis parum elevatis notatum. Etiam semina sæpe occurrunt ex oblongo ovato-acuminata & prioribus breviora. Floret Majo & Junio. Julio semen maturefcit. Crescit ad fruticosa. Sistitur inferior & summa pars caulis plantæ quinque-pedalis. Tum flos auctus. Semen vulgatus naturale, idemque auctum cum transversa facie. Tandem seminis non aucti varietas.

TABULA SEXAGESIMA QUARTA.

CHÆROPHYLLUM AUREUM. *Linn. syst. pag. 214.*

Chærophyllum foliis hirsutis, petalis cordatis, feminibus obscure striatis. *Hall. hist. helv. num. 749. aff. helv. tom. 3. pag. 114.*

Myrrhis perennis alba minor, foliis hirsutis, semine aureo. *Hall. ad Rupp. jen. pag. 282. tab. 5.*

Myrrhis perennis minor, foliis hirsutis, semine striato aureo. *Moris. hist. 3. p. 301.*

Myrrhis minor. *Bauh. pin. 160.*

Myrrhis altera parva. *Lob. ic. 734.*

Radix perennis, extus nigricans, intus albida aut flavescens, pollicem crassa, fibris donatur pluribus, aliis tenuibus & capillaribus, aliis calami crassitie pedalibus & fuscescentibus. Caulis erigitur ad duorum trium quatuorve pedum altitudinem, substriatus, me-



medulla farctus in centro, glaber omnino aut ad basin pilis raris adpersus, sub geniculis intumescens, in parte folium proximum superius spectante angulatus simulque sulco acumbente exaratus, ex adversa parte teretior, ramosus, pallido & veluti incano colore vi-rens, aut purpura sæpe tinctus eademque variegatus ad magnam altitudinem. Folia odo-rem habent subaromaticum nec ingratum, quem trita imprimis spirant, non raro tamen debilem in planta senescente. Radicalia multo latiora sunt, atque omnino folia valde va-riant in diversis. Petioli vaginantes inferne vestiuntur pilis albis, & ipsi eo hirsutiores eva-dunt, quo ad foliorum divisuras ultimas propius accedunt. Foliola sunt ex oblongo lan-ceolata, pinnatifide incisa, acuta, subtus hirsutula, pallide virentia, extrema longe con-fluentia. Pro involucro universali plerumque unicum adest foliolum; etiam desideratum. Umbellis partialibus subsunt quina vel sena, ad oras subpilosa, lanceolato-acuminata, re-flexa. Umbellæ sunt planæ, partiales parvæ. Petala sunt alba, semibifida, extima in ambitus flosculis majora, propter apicem valde inflexum cordata. Antheræ purpurascunt. Flos centralis brevissime pedunculatus, pluresque ex circumferentia alii, sunt hermaphro-diti & fertiles. Hisce vero immiscentur alii germine destituti & steriles. Petala inter-dum sunt duplo minora, quam delineata, idque imprimis in umbellis primo florentibus. Semina oblonga glabra & quadrilinearia, intus, qua se mutuo tangunt, sulco profundo exarantur; extus vere sulcata non sunt, sed potius obsoletius angulata, fuscescentia cum angulis pallidioribus, (sed qui color in nostratibus certe aurei nomen minime meretur,) inodora, saporis aromatici, vix acris, nec grati. Floret Majo & Junio. Semina ma-turescunt Julio & Augusto. Crescit in montosis. Sistitur etiam semen; idemque di-scissum auctum; tum auctus flos disci cum staminibus nedum exprorectis, idemque ra-dialis.

TABULA SEXAGESIMA QUINTA.

CHÆROPHYLLUM TEMULUM. *Linn. syst. pag. 214. Crantz. fasc. p. 190.*

Chærophyllum sylvestre. *Bauh. pin. 152.*

Myrrhis foliis hirsutis, laciniis obtusis, caule geniculato. *Hall. hist. helv. num. 750.*

Myrrhis annua vulgaris, caule fusco. *Moris. hist. 3. p. 302. s. 9. t. 10. f. 7.*

Myrrhis. *Riv. pentap. irr. tab. 48.*

Cerefolium sylvestre. *Tabern. herb. part. 1. pag. 353.*

Radix biennis altero demum anno caulem profert pedalem vel bipedalem, erectum, in ramos divaricatum plures vel paucissimos, inferne compressum & subangulatum, cæ-terum subteretem, solidum, substriatum, punctis atropurpureis sæpe adpersum, sub ge-niculis tumentem, brevissimis pilis vestitum, ad tactum modice scabrum. Folia radi-calia & ramea ex petiolo vaginante orta, hirsutula, mollia, obscure virentia & du-plicato-pinnata dividuntur in pinnas subovatas obtusas & lobato-incisas. Umbellæ flo-rentes eriguntur, aut in latus parum inclinantur, antea valde nutantes; quod quidem cum non paucis umbelliferis commune h-bent. Universales componuntur ex radiis nu-mero variis a quinque ad duodecim, inæqualibus, involucris foliolo nullo, rarius uno al-terove suffultæ. Sub particularibus umbellis foliola sunt lanceolata, acuta, reflexa, plus minus sena. Flosculorum exteriorum petala paulo majora sunt, cujusmodi auctum folio-lum ad latus depingi curavi. Petala alba, ad medietatem incisa & semibiloba cordatam hinc figuram habent. Antheræ pallent. Flos centralis & extimi fructum gerunt. Reli-qui intermediarii plures abortant ob germinis defectum, etiam si stylis instruantur. Semina oblonga, glabra, fusca, bilinearia, acuta, intus concava, extus obsolete & obtuse quin-quesulcata cum angulis pallentibus maturescunt Julio & Augusto; dum planta floret Ma-jo & Junio. Crescit in sylvis, sepibus, imprimis ad margines. Seorsim exhibetur fru-



Etus integer in magnitudine naturali, semenque auctum & discissum transversim, ut circumferentia appareat.

TABULA SEXAGESIMA SEXTA.

SIUM LATIFOLIUM. *Linn. syst. pag. 211.*

Sium. Riv. pentap. irr. tab. 77.

Sium foliis pinnatis, argute dentatis, umbellis erectis. Hall. hist. helv. num. 777.

Coriandrum latifolium. Crantz. fasc. pag. 212.

Tabula 246. Oed. flor. dan.

Cum in hac, tum in sequente planta, omni synonyma Bauhiniana, aliaque, quod dubia mihi videbantur. Tota planta glaberrima est. Radix perennis constat fibris numerosis, teretibus, albis, longisque, quæ per limum disperguntur. Et similes etiam radices, quo usque pars caulis stat aquis immersa, e nodis ejusdem proximis in limum descendunt. Hic autem humanæ sæpe altitudinis, alias quoque brevior, nodosus, inanis, foliosus, & ramosus, ad exortum diametro unciam æquat in individuis majoribus, & sex plus minus angulos obtusos totidemque habet inæqualis latitudinis latera. Foliola lanceolata vel magis oblonga, modo valde angusta, modo latiora, ratione tamen latitudinis propriæ semper multo angustiora quam sunt folia Sii sic dicti angustifolii, a tribus ad sex uncias longa, argute ferrata, & acuta, tria vel quatuor cum terminante impari (interdum absente) adfident utrinque costæ ad basin vaginanti, cæterum angulatæ inani & in maximis bipedali. Sub aqua folia quandoque egrediuntur difformia crebriusque & in capillares ferme pinnas divisa. Atque alias etiam folia radicalia extra aquam elevata variare solent, cujusmodi specimina truncata in tabulæ margine repræsentantur. Umbellæ terminant caulem ramosque erectæ, amplæ, parum convexæ, compositæ ex radiis tricenis aut pluribus, & suffultæ involucri foliolis circiter octonis, angustis, acuminatis, umbella duplo triplove brevioribus, plerumque indivisis, interdum incisis, inter se æqualibus, patentissimis vel reflexis, margine membranaceo albicante donatæ. Sub umbellis particularibus involucria sunt similia, sed pauciora, deficientibus scilicet foliolis aliquot interioribus, eoque pluribus, quo sunt umbellulæ centro viciniore. Perianthium proprium notabile est. Petala alba, ferme æqualia, figura gaudent subrotunda, simulque propter inflexum, in quem desinunt, apicem subcordata. Antheræ purpurascunt. Styli pallent. Semina ex ovali oblonga plerumque in medio ab invicem divergunt in fructu, qui tunc inde evadit orbicularis & compressus, neutiquam vero globosus; cæterum etiam feminibus magis contiguus ex oblongo ovatus. Sunt vero semina fusca, incurvata, hinc plana, illinc striis quinque rotundatis atque elevatis fulcata, trita inter digitos cumini odorem spirantia, eodemque prædita odore cum juncta acredine. Sistitur summa pars caulis, ejusdemque infima; tum fructus integer; ad lentem auctum semen, ejusdemque facies transversa, & flos. Crescit inter arundines in inundatis. Floret Julio & Augusto. Semina fert Octobri.

TABULA SEXAGESIMA SEPTIMA.

SIUM ANGUSTIFOLIUM. *Linn. syst. pag. 211.*

Sium Berula. Gouan. flor. monsp. pag. 218.

Sium erectum. Hudson. angl. pag. 103.

Sium minus. Riv. pent. irr. tab. 78.

Sium foliis radicalibus ovatis, pinnatis, dentatis; caulinis appendiculatis, umbellis alaribus. Hall. hist. helv. num. 778.

Sium



Sium erectum, umbella brevi, seu *Pastinaca aquatica*. *Raj. hist. pag. 444.*

Apium Sium. *Crantz. fasc. 215.*

Tabula 247. *Oed. flor. dan.*

Tota planta est glaberrima, &, imprimis trita, odorata. Radice convenit cum *Sio* latifolio, caule etiam ex geniculis ad quamcunque altitudinem suam, qua sub aquis sive erectus sive prostratus latet, radices fibrosas luto immittente; eoque id in hac specie accidit frequentius altiusque, quod caulis quam in illa procumbat crebrius; qui tamen etiam erectissimus sæpenumero conspicitur; ita ut in nostra regione casui fortasse, scilicet aquarum copiarum vario tempore variarum, aut irruentium earundem post imbres impetui, debeat procumbentiam suam. Nec raro hinc abruptus a radice propria, porro per fibrillas de geniculis exortas, caulis crescere pergit, ut sic radix primordialis desideretur. Hanc propterea ad latus depingi curavi in juvene planta nedum caulescente; quæ tunc articulata & cauliformis numerosas ex nodis fibrillas generat, ipsa modo brevissima, modo longior; & cujus infima extremitas obtusa & impervia cum fibrillis suis fuisse totius plantæ primordium credi potest. Caulis est teres, tenuissime striatus, inanis, sæpe purpurascens, superne interdum parum angulatus, vel ab ipsa interdum ramosus radice, tandem diffusus. Folia pinnata ex vagina amplexicauli ortum ducunt; costa tereti, striata ac inani. Foliola sunt sessilia, ex lanceolato oblonga aut magis subovata, acuta, argute ferrata, opposita, cæterum & numero & forma variantia. Sunt enim alia ex utraque parte ad basin auriculato-incisa; alia magis simplicia. Serraturæ modo profundiores, modo æqualiores, modo minus. Foliolorum par infimum quandoque procul distat a pari proximo. Impar foliolum vel est simplex, vel appendiculatum, vel semitrilobum. Umbellæ omnes sunt pedunculatæ; vere enim sessilem nunquam vidi; diversamque hinc plantam probant a *Sio* nodifloro, umbellis gaudente omnibus sessilibus, cujus bonam Morionus figuram dedit, in Austria nedum, quod sciam, repertæ; ut itaque hæ plantæ, cæterum simillimæ, confundi non debeant. Umbellæ porro omnes, primo terminales, deinde evadunt pleræque foliis oppositæ, quia novus ramus folium inter & pedunculum egreditur; quod etiam aliis quibusdam umbelliferis solenne est. Involucris universalis foliola sunt circiter sena, lanceolata, acuta, inæqualia, integerrima aut diversimode incisa, & reflexa. Partialibus umbellulis similia foliola subjacent, sed minora. Umbella universalis convexa constat partialibus hemisphæricis a decem ad septemdecim. Petala alba subæqualia & patula apice leviter inflectuntur, hinc subcordiformia. Stamina pallent. Flosculi omnes fertiles fructum ferunt ex ovato rotundatum, compressum, stylis patentibus coronatum, parvum, rugosiusculum, ex nigro fuscum, odoris aromatici, saporis ingrati & acerrimi, in bina secedentem semina subovata, hinc plana, illinc rotundato-angulata cum angulis tribus vel quatuor. Semina etiam interdum sunt terna cum stylis totidem. Floret Julio & Augusto. Semina maturescunt Octobri. Crescit in rivulis & aquis stagnantibus. Adstat etiam fructus integer in magnitudine naturali; tum idem auctus cum feminis transversa sectione; deinde flos auctus.

TABULA SEXAGESIMA OCTAVA.

ATHAMANTA OREOSELINUM, *Linn. syst. pag. 208.*

Selinum Oreoselinum. *Scop. carn. 1. pag. 201. Crantz. fasc. pag. 169.*

Selinum foliolis ovato-acutis, acute ferratis & incisis. *Linn. hort. Cliff. 92.*

Selinum foliis triplicato-pinnatis, angulis divisionum obtusis. *Hall. hist. helv. num. 803.*

Oreoselinum. *Clus. hist. CXC. Riv. tab. 8. Dod. pempt. 5. l. 4. c. 3.*

Oreoselinum majus. *Moris. umb. pag. 41. tab. 10. fig. 1.*

Oreoselinum apii folio, minus. *Tourn. inst. 318.*

Apium montanum folio ampliore. *Bauh. pin. 153.*



Tota planta glabra est, & trita inter digitos odorata. Radix perennis, albida, teres, plerumque simplicissima & vix fibris aucta, digitum vel pollicem crassa, pedalis, fetis fuscis coronata, carnofo-fibrosa, saporis aromatici parum acris nec grati, recta in terram descendit, primo ætatis anno sola profert folia radicalia, subsequis caulem ut plurimum unicum, erectum, solidum, teretem, striatum, imprimis superne in ramos aliquot divisum, ab uno ad tres pedes altum, calamum, vel & digitum crassum. Folia multiplicatopinnata & ampla costam habent teretem, ex basi membranacea dilatata & amplexante extortam, in foliis radicalibus sæpe longam, quæ in ramos subdividitur ad angulos rectos iisve majores egressos, ad nodos, ac si fracti forent, plerumque distortos, hinc insolito habitu valdeque diffuso prædita. Foliola sunt pinnatifide laciniata, acuta, subtus venosa, latiora vel angustiora; aut sunt semitriloba, aut solo apice trifida, aut alia. Vaginæ foliorum plerumque purpura plus minus tinguntur. Sæpe etiam caulis. Inveni quoque folia ipsa tota sanguinea. Involucri universalis foliola valde variant numero, nunc unicum, alias duo, tria, imo novem & plura, anguste lanceolata acuta & reflexa. Pro involucro partiali semper adfunt plura, interiora brevissima, cæterum similia. Umbella universalis ampla, inæqualis, planiuscula aut magis convexa componitur ex pluribus partialibus magis densis & convexis. Petala sunt ovata cum apicibus inflexis, vix cordata, æqualia, & coloris plerumque nivei, interdum rosei. Antheræ pallent. Omnes flosculi fertiles sunt. Fructus immaturus sæpius eleganter rubet, maturus pallet cum disco fusco. Complanatus constat duobus seminibus orbicularibus interdum basi magis elongatis, planis, nucleo tribus striis pallidioribus variegato, margine membranaceo. Interdum fructus ex seminibus tribus componitur, cujusmodi depictus integer in magnitudine naturali etiam adstat; tuncque semen unum, etiam depictum, a solita figura deviat, alas habens versus dorsum detrusas & conniventes, hinc ibidem sulcatum, antice acutum. Crescit in fabulosis herbidis montanis. Floret Augusto & Septembri; quo etiam ultimo mense maturescunt semina. Ad latus etiam flos auctus sistitur. Ipsa planta ex sylvestribus majoribus est, deficiente parte aliqua intermedia.

TABULA SEXAGESIMA NONA.

ATHAMANTA CERVARIA. *Linn. syst. pag. 207.*

Selinum cervaria. *Linn. spec. pl. edit. primæ pag. 1194. Scop. carn. 1. p. 201. Crantz. fasc. pag. 167. tab. 3. fig. 1.*

Selinum foliis duplicato-pinnatis, pinnulis semibilobis, circumferratis. *Hall. hist. belv. num. 804.*

Cervaria. *Riv. pentap. irr. tab. 12.*

Seseli montanum secundum pannonicum. *Clus. hist. CXCI.*

Daucus montanus, apii folio, albicans. *Bauh. pin. 150.*

Libanotis Theophrasti nigra. *Tabern. herb. part. 1. pag. 388.*

Tota planta glaberrima & odorata est. Radix teres, sæpe longa pedem, crassitiei pro varia ætate diversæ, perennis, & intus albicans, cortice vestitur nigro rugoso & crasso; succo scatet glutinoso, in lassa imprimis de corticis interiore substantia exeunte, flavicante, saporis initio resinosi, deinde acris & salivam cientis. Coronam setaceam a præteritis foliis habet, caulemque producit frequentius unicum, recta assurgentem, altitudine admodum variantem ab uno ad quinque pedes, teretem, substriatum, pallide virentem aut purpurascentem, non raro sine ullo ramo simplicissimum, alias ramis paucis brachiatum, medulla farctum alba, leviterque compressum. Folia radicalia sunt ter pinnata, caulina bipinnata: foliolis oppositis, sessilibus aut brevissime petiolatis, subovatis, acutis, inæqualiter & argute ferratis cum dentibus mucronatis, aliis integris, aliis lobato-incisis, extremis plerumque semitrilobis, facie virentibus aut pallide aut latius, dorso glaucis & per



per venulas obscuriores reticulatis, firmis. Petioli in foliis radicalibus & caulinis sæpe inferioribus sunt longi, subcompressi, substriati, & sola in basi ampliati & membranacei. Vaginæ superiores, sine petiolo interposito alio, folia multo minora minusque divisa sustinent; in summo caule sola foliorum rudimenta. Involucri universalis foliola sunt circiter decem, ex lanceolato linearia, in setulam acuminata, reflexa cum marginibus membranaceis albis & undulatis. Particulare fit ex foliolis fetaceis; cæterum simile priori. Neutrum unquam deficere in florente planta vidi. Umbella universalis ampla & parum convexa componitur ex umbellulis valde convexis plus minus vicenis. Floribus petala sunt nivea, ante explicationem quibusdam in individuis purpurascentia, apice antrorsum flexo & ferrulato subcordata. Omnes fertiles sunt, & semina dant Septembri matura, quæ sunt subrotunda, extus compresso-plana, & fusca; intus plana & pallidiora, in marginem attenuata membranaceum; hinc atque illinc ad latus exhibita in magnitudine nativa, quibus flos adstat auctus. Floret Augusto. Tabula exhibet plantæ mediocris infimam & summam partem, deficiente parte aliqua intermedia.

TABULA SEPTUAGESIMA.

PEUCEDANUM ALSATICUM. *Linn. syst. pag. 208.*

Selinum alsaticum. *Crantz. fasc. pag. 159.*

Selinum foliis quadruplicato-pinnatis, nervis canaliculatis. *Hall. hist. helv. num. 798.*

Daucus alsaticus. *Baub. prodr. 77.*

Umbellifera alsatica magna, umbella parva sublutea. *Baub. hist. 3. part. 2. pag. 106.*

Ex radice perenni, ramosa, foris nigra, digitum crassa, foliorum reliquiis capillata, & saporis subacris, egreditur caulis annuus, erectus, striatus, angulatus magis minusve, ramosissimus omnium, statura varius, pedalis vel humanam æquans altitudinem. Rami sæpe jam a caulis infima parte exoriuntur, ut tunc tota planta paniculata evadat. In aliis ex adverbo caulis elegans assurgit, & panicula ista in superiore plantæ parte locum habet, semper autem rami sunt tam numerosi atque adeo umbelliferi, ut vel eminus planta facile dignosci queat. Rami medulla alba farciuntur; caules majores sæpe sunt inanes. Folia sunt multiplicato-pinnata, ratione ipsius plantæ magnitudine diversa, sic in majoribus radicalia sesquipedalia costis inferioribus lateralibus pedalibus, superiora sensim decrescunt. Costæ sunt striatæ, antice canaliculatæ, purpureæ; caulinae superiores mere membranaceæ, ut hic folia dependeant, nec erigantur aut pateant. Foliola variant, dum sunt profunde trifida, quadrifida, vel etiam pluries incisa; laciniis lanceolato-oblongis, acutis, planis. Umbellæ raræ & planæ involucrum constat foliolis circiter quinis, angustis, acutis, brevibus & patulis. Similiter se habet involucrum parziale. Petala sunt pallide flava, ovata, cum apice angustato antrorsum inflexo. Calyx proprius pentaphyllus & parvus viret. Antheræ didymæ flavent. Germinis vertex est luteus. Semina sunt compressa, nucleo nigricante extus striis tribus in membranulam elevatis pallidisque notato, & excurrente in marginem undique membranaceum tenuem fuscescentem. Videtur mihi flos unus alterve ex centro, germine destitutus, abortare. Tota planta odore prædita est aromatico, nec grato. Floret Augusto & Septembri. Semina perficit Octobri. Crescit in apricis asperis. Tabula repræsentat plantæ majusculæ caulem extremum, eundem intermedium, infimumque cum adhærente radice, ita ut ubique partes desint. Tum florem & semen utrinque conspectum. Tandem florem auctum, uti & semen cum ejusdem transversa circumscriptione.



TABULA SEPTUAGESIMA PRIMA.

SELINUM AUSTRIACUM. *Jacq. enum. vindob. pag. 220. Scop. carn. 1. pag. 200.*

Selinum argenteum. Crantz. fasc. pag. 174. tab. 4. f. 2.

Caulis sæpius simplicissimus, rarius ramosus & brachiatus, attollitur ad duorum triumve pedum altitudinem, nitidus, striato-fulcatus, virens cum striis elevatis pallentibus, foliosus, alba medulla farctus, calamus crassitie raro superans, aut solitarius ex radice primum caulifera, aut etiam plures ex latere perennantis annosioris. Hæc vero, capite hinc principe præmorfo, tunc valde difformiter crescere solet, longis crassisque terræ immixtis fibris, uti ipsa, fordide albescentibus saporisque subamaricantis & acris. Ex petiolis teretibus, radicalibus sæpe pedalibus, striatis, basi vaginantibus & membranaceis, folia exoriuntur multiplicato-pinnata, glabra, facie saturate, dorso dilute virentia & venulosa. Foliola sunt pinnatifide incisa, mucrone exiguo donata, plana, nunc lata, nunc angusta, & omnino satis variantia in diversis individuis, odoris ferme expertia, saporis herbacei subacris & ingrati. Involucri universalis foliola circiter sunt decem, ex lanceolato linearia, vix semipollicaria, acuminata, integra, reflexa, persistentia, ad oras membranacea & albida. Cum his foliola involucri partialis congruunt, in extimis umbellulis extrema longiora; cujusmodi involucrum ad latus extat depictum. Umbella universalis ampla convexa patensque uncias in diametro æquat quatuor vel quinque, e radiis constans superne villosiusculis viginti vel triginta. Partiales sunt densæ & convexiores. Petala sunt æqualia alba & ob apicem inflexum late cordiformia cum lateribus parum reflexis. Antheræ ex sulphureo pallent. Styli, in flore erecti, divergunt in fructu. Flores centrales, germine carentes, abortant plurimi. Seminum nuclei sunt fusci, elliptici, hinc plani, illinc convexuli & tribus quatuorve striis elevatis notati, excurrentes in marginem membranaceum tenuem & pallentem; hinc femina tota aut ovata, aut magis rotundata. Horum exhibetur in tabula utraque facies magnitudine naturali; cum feminis discissi auctique ad duplum transversa circumscriptio; & flos etiam auctus. Floret Julio & Augusto. Semina maturefcunt Augusto & Septembri. In asperis herbidis montosis frequens crescit.

TABULA SEPTUAGESIMA SECUNDA.

SELINUM CARVIFOLIA CHABRÆI. *Crantz. fasc. pag. 162. tab. 3. fig. 2.*

Carvifolia. Chabr. sciagr. pag. 389. Bauh. hist. 3. part. 2. pag. 171. Bauh. pin. 158. Vaill. paris. tab. 5. fig. 2.

Tota planta glaberrima est. Ex radice fusiformi, simplice vel in ramos divisa, semipedem circiter longa, calamus vel digitum minimum crassa, albida & quandoque extus flavescens aut rufa, rugis sæpe (nec semper) circularibus notata, saporis pauci & subacris, perennante atque per ætatem multicipite, annuatim recta assurgunt caules plures, teretes, striati, superne ramosi, virentes, non raro purpurascens, duos tres vel etiam quinque pedes alti pro varia fruticum altitudine, quos inter planta crescit, dum extra hos comam fere solam attollit. Folia radicalia & caulina omnium infima, petiolis teretibus, antice sulcatis, striatis longisque innixa, sunt circumscriptioe oblonga, & composita ex foliolis oppositis pinnatis vel tantum pinnatifidis, basi folio simili auctis, ac propterea costam sæpe decussantibus; pinnulis lanceolato-linearibus planis & acutis. Folia caulina constant foliolis minus divisis, sed plerumque longioribus. Summa sunt simpliciter pinnata. Horum vero omnium petioli sunt toti membranacei, plani, & intus albidii;



atque hinc debiles folia erecta sustinere haud apti, quæ propterea ad caulem pendula sunt. Involucrum universale adest nullum. Particulare etiam rarissime invenio, unifolium & fetaceum. Radii a sex ad octodecim valde inæquales patent in florescentia, in fructu eriguntur. Umbella universalis plana & rara componitur ex umbellulis magis densis, quæ tamen propter divergentes proprios radios sæpe in centro flosculis nudatæ conspiciuntur. Germinis in fructum abituri vertex ex atro rubet. Flores omnes fertiles petala habent oblonga, inflexa, vix cordata, æqualia, intus albida, foris leviter purpurascentia. Antheræ pallent. Semina subovata & compressissima, hinc plana sunt ac albida, illinc in medio striis tribus parum elevatis insigniuntur, in marginem excurrentia membranaceum, odoris expertia, & sapore prædita pauco ingrato & subacri. Crescit in collibus fruticosis. Floret Augusto & Septembri. Semina sunt matura Octobri. Tabula exhibet plantam staturæ mediocris, cum seminibus duobus seorsim positis, altero latiore, magis oblongo altero, atque hoc quidem utrinque delineato; tum feminis transversim discissi auctam faciem, floremque auctum.

TABULA SEPTUAGESIMA TERTIA.

ERYSIMUM HIERACIFOLIUM. *Linn. syst. pag. 441.*

Erysimum pannonicum. *Crantz. fasc. pag. 28.*

Erysimum foliis lanceolatis, obsolete dentatis, siliquis pedunculis adpressis. *Gerard. prov. pag. 363.*

Leucoium luteum sylvestre pannonicum ferrato folio obtuso & acuto. *Bauh. hist. 2. pag. 873. fig. 1.*

Leucoium luteum sylvestre hieracifolium. *Bauh. pin. 201. Hall. hist. belv. pag. 196. ad calcem num. 450.*

Radix annua, sublignosa, longa, digitum crassa, albida, sæpe ramosa, rectaque descendens, nisi allidatur ad saxa, caulem emittit solitarium, vel etiam rarius plures, ut plurimum ad ipsum exortum incurvatum, mox adscendentem atque erectum, parum asperum, medulla candida farctum, foliosum, altitudinis variæ a pedali ad sexpedalem, in majoribus individuis digitum minimum crassum, multangularem veluti per membranulas extantes, aut simplicissimum, aut ex alis per ramos simplices erectosque paniculatum, idque imprimis superne, tum etiam rarius vel ab ipsa radice. Folia sunt ex oblongo lanceolata, basi attenuata, subsessilia, acuta, raris denticulis ad oras munita, interdum profundius sinuata quam in specimine depicto, subscabra, planiuscula, viridia aut ex atro etiam purpurascentia, inferiora in planta adolescente arefacta & deperdita, in frutescente sæpe jam nulla. Flores locantur in racemis terminalibus, præditi odore suavi, sed pauco. Calycis cum flavedine pallentis, ad apicem virentis, glabri compressique foliola opposita duo ad basin magis protuberant; reliqua duo apice in gibbum concavum efformantur. Petalorum luteorum unguis calycem modice superant. Antheræ virent cum flavedine. Stigma est capitatum & emarginatum. Siliquæ exacte tetragonæ eriguntur, parallelæ cauli ramisque. Racemi valde producuntur, densequè tandem toti teguntur fructibus; qua nota facile ab affinibus distinguitur. Tum præterea ab Erysimi cheiranthoide imprimis florum odore & magnitudine, petalis magis subrotundis & foliis versus apicem minus attenuatis. A Cheirantho Erysimioides siliquarum costis omnibus rectangulis & radice annua. A Cheirantho alpino caulibus magis argute angulatis, flore paulo majore, & foliis non incanis. Floret a Junio ad Septembrim, quo semina perficit. Crescit in scrobibus glareosis ad latera viarum, in agris lapidosis, ad vineas, montium declivia aspera; sæpe maxima copia. In icone desideratur pars plantæ media circiter pedalis.



TABULA SEPTUAGESIMA QUARTA.

CHEIRANTHUS ERYSIMOIDES. *Linn. syst. pag. 441. mant. 428.*

Cheiranthus sylvestris. *Crantz. fasc. 45.*

Erysimum Hesperis. *Scop. carn. 2. pag. 28.*

Hesperis foliis glabris, linearibus, lanceolatis, obiter dentatis. *Hall. hist. helv. num. 449. tab. 14.*

Leucoium sylvestre. *Clus. hist. 299.*

Leucoium angustifolium, alpinum, flore sulphureo. *Allion. pedem. 1. pag. 44. tab. 9. fig. 2. & 3.*

Leucoium luteum sylvestre Clusii. *Baub. hist. 2. pag. 873. figura altera.*

Leucoium luteum sylvestre angustifolium. *Baub. pin. 202.*

Radix perennans, lignosa & semipedalis, quam, ad saxum allisam atque hinc horizontaliter pergentem, semel tripedalem inveni, sapore gaudet amaricante, primo satiationis anno sola folia radicalia, altero demum & subsequis caules annuos producit, cultrique multiceps evadit. Caulis ut plurimum in sylvestri planta solitarius, basi purpurascens, plerumque simplicissimus, rarius ex axillis foliorum ramos ab unico ad sex attollens, angulato-striatus, & foliosus, stricte erigitur; altitudine admodum diversus, a semipedali ad sesquipedalem, dum vel biuncialia specimina possideo ex Pyrenæis. Pro varia hac statura diversus esse solet numerus florum, aut plurimorum, aut paucissimorum; sed qui magnitudinem tamen eandem servant. Pedunculi breves crassi & uniflori patent. Flores pollent suaveolentia Cheiranthi Cheiri debiliore. Calycis cum virore pallentis, ad apicem sæpe ex fusco purpurascens, & erecti, foliola opposita basi deorsum protuberant. Petalorum luteorum unguis calycem æquant in explicatione, ultra quem postea elongantur ad unam tertiam partem. Antheræ pallide virent, effætæ fuscescunt. Germen tetragonum & lineare in stylum definit brevissimum, coronatum stigmate capitato bifidoque. Siliqua erigitur, duas tresve uncias longa, tenuis, fusca, glabra, tetragona sic, ut oppositi duo anguli in parte filiquæ compressa minus emineant. Dissepimentum valvulas parum exsuperat. Semina sunt oblonga, coloris ex ferrugineo flavescentis, nulla vel minima membrana cincta, saporis amaricantis & ingrati. Folia sunt angusta, acutiuscula, sessilia, obscure virentia, plerumque parum conniventia, in aliis ferme linearia, in aliis ex oblongo lanceolata, sæpius integerrima, inferiora tamen in quibusdam individuis denticulata. Caulis, folia & filiquæ immaturæ mediocri aliqua asperitate donantur. Floret Majo. Semina perficit Julio. Crescit admodum apud nos infrequens in asperis apricis montosis. Tabula sistit plantam sylvestrem elegantiores, nec tamen elegantissimas; dein racemi fructigeri partem cum filiqua integra cumque dissepimentis post valvularum casum persistentibus.

TABULA SEPTUAGESIMA QUINTA.

CHEIRANTHUS ALPINUS. *Linn. syst. pag. 441. mant. 93. & 428.*

Erysimum cheiranthoides. *Crantz. fasc. 28.*

Erysimum foliis linearibus incanis & integris. *Gerard. prov. 363.*

Eruca sylvestris angustifolia. *Lob. ic. 205.*

Eruca angustifolia. *Baub. pin. 99.*

Tota planta scabriuscula est. Radix albida, a tribus ad decem uncias longa, duas vel plures lineas crassa, lignosa, biennis, modo recta descendit, modo inter saxa varie distorquetur, & primo anno sola promit folia radicalia. Caulis stricte eriguntur, aut solitarii, aut rarius pauci, ab uno ad tres pedes alti, modo simplicissimi, modo superne ra-

mo-



mosi, subangulati, tenues, firmi, parum scabri. Folia sunt lanceolato-linearioria, pilis brevissimis & vix conspicuis modice exasperata, sessilia, inordinate alternantia, magis minusve conniventia, acutae. Hæc caulem ante florescentiam satis numerosa decorant; sed brevi post illam arescunt, pereuntque, adeo quidem, ut sæpe sub florescentiæ finem caulis vel ad ramos racemosve usque foliis nudatus spectetur. In aliis autem individuis sunt angustissima, vere linearia, integerrima, ferme incana, & veluti convoluta, cujusmodi caulis pars aliqua depingitur ad latus, tribus foliis instructa. In aliis multo sunt latiora, magis virentia, & inferiora obiter atque rariter dentata, uti ex caulis alius parte infra priorem exhibita patet. Medium habitum planta integre proposita docet. Caules & rami producuntur in racemos longissimos. Flores ferme omni carent odore. Calycis glauci glabri & parum compressi foliola duo opposita deorsum gibba sunt. Petala lutea in ungues desinunt longitudine calycis. Stigma obsoletius bifidum est. Siliquæ tenues, tetragonæ, & erectiusculæ, modo pollicares sunt aut sesquipollicares, uti in planta depicta; modo bipollicares & filiformes, cujusmodi cum semine exhibentur in margine. Floret Junio & Julio, femina dans Augusto & Septembri. In aggeribus, asperis apricis, ipsisque suburbanorum hortorum muris frequentissime crescit, neutiquam apud nos alpina planta. Tanquam synonymum hujus plantæ adduxissem Hallerianam Hesperidem numero 450 descriptam; sed esse hanc suam, in litteris negante illustrissimo viro, lubenter ejus judicio steti, atque omisi.

TABULA SEPTUAGESIMA SEXTA.

ACHILLÆA CLAVENNÆ. *Linn. syst. pag. 566. Scop. carn. 2. pag. 179.*

Achillæa foliis tomentosis, longe petiolatis, palmatis. *Hall. hist. helv. num. 114.*

Abinthium alpinum umbelliferum. *Clus. hist. 339.*

Abinthium alpinum umbelliferum latifolium. *Baub. pin. 139.*

Abinthium albis floribus, capitulis squarrosis. *Baub. hist. 3. part. 1. pag. 183.*

Dracunculus argenteus, sive Ptarmica incana humilis, foliis laciniatis absinthii latioribus amulis. *Moris. hist. 3. p. 40. s. 6. t. 10. f. 5.*

Plantula elegans, grate odorata tota atque aromatica, in summis alpium jugis crescit, florens Julio & Augusto. Radix nigricans, parum acris, & perennans ætate multiceps evadit. Caules simplicissimi, plus minus semipedales, incani & annui eriguntur, superne per pedunculos unifloros & bifloros in corymbum abeuntes. Folia radicalia sunt oblonga, basi paulatim angustata in pedunculum longum, obtusa, pinnatifide incisa, ab uno ad tres pollices longa, crassiuscula, tomento tenuissimo utrinque incana, prædita sapore amaricante aromatico & subacri, tum odore, in quo videor mihi detegere quiddam de matricaria & absinthio. Folia caulina paulatim minus attenuantur; summa sessilia sunt. Flores calycem habent subvillosum ex foliolis margine atratis. Flosculi fæminei quini vel paulo plures, in radio locati, expanduntur in ligulam amplam niveam tridentatam obtusissimam & patentissimam. Flosculi hermaphroditi in disco plures pallidi antheris donantur luteis. Paleæ apice fuscescunt. Semina simillima feminibus Achillææ atratæ, ut vix distinguantur.

TABULA SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

ACHILLÆA ATRATA. *Linn. syst. pag. 566. Scop. carn. 2. p. 179.*

Achillæa foliis pinnatis, glabris; pinnis simplicibus & multifidis. *Hall. hist. helv. num. 111.*



Millefolium alpinum. Baub. hist. 3. part. 1. pag. 139. fig. 1.

Parthenium alpinum. Clus. hist. 336.

Matricaria alpina, chamæmeli foliis. Baub. pin. 134.

Tota planta aromaticum gratumque odorem, tanaceti aliquid habentem, possidet, cum sapore aromatico pungente. Radix lignosa, perennis, repens, fibras longas in terram mittit, & multiceps plures producit caules adscendentes, teretes, villosos, striatos, simplices, foliosos, desinentes in pedunculos ramulosve corymbosos, semipedales vel pedales. Folia pilosa & bipinnata sunt fere Achillæ Millefolii. Calycinarum squamarum virentium oræ aridæ atque erosæ nigrescunt. Corollæ radii sunt niveæ, a sex ad decem. Limbus flosculorum disci minus albet; tubus pallide viret. Antheræ sunt luteæ. Semina oblonga, superne latefcentia, hinc plana, illinc convexula, glabra, nec flocco nec pappo instructa. Crescit in summis alpium jugis, ubi floret Julio Augusto & Septembri.

TABULA SEPTUAGESIMA OCTAVA.

BETONICA ALOPECUROS. *Linn. syst. pag. 394. Jacq. enum. vind. pag. 251. Crantz. fasc. pag. 256.*

Betonica albo flore. Clus. hist. XXXVIII.

Betonica montana lutea. Barr. ic. 339.

Betonicæ folio, Alopecuros quorumdam. Baub. hist. 3. p. 303.

Betonicæ folio, capitulo Alopecuri. Baub. pin. 335.

Sideritis Alopecuros. Scop. carn. vol. 1. p. 413. tab. 28.

Alopecuros alpina, Betonicæ folio, capitulo alopecuri. Seg. ver. vol. 1. pag. 318.

Horminum minus album, Betonicæ facie. Baub. pin. 239.

Horminum alpinum luteum, Betonicæ spica. Raj hist. 547.

Radix fusca & fibris aucta perennat. Caules plerumque plures, simplicissimi, tetragoni, hirsuti, basi parum procumbunt, hinc eriguntur, semipedales aut altiores. Folia ex cordato ovata, nunc rotundiora, nunc magis elongata, obtusa, dentata, rugosa & hirsuta, ad radicem oriuntur plura longe petiolata, cauli insident opposita pauca breviter petiolata, summa interdum sessilia. Bractææ oppositæ exteriores, sive foliola verticillis subjacentia, integerrimæ sunt. Ex his quælibet flores sustinet sessiles & aggregatos circiter senos, simul spicam efformantes pollicem longam unum alterumve; suntque infimæ sæpe a reliquis parum remotæ, unde spica evadit interrupta. Flores singulos bractea minor propria & lanceolata suffulcit, excepto interiori, qui nudus est, & primus floret. Levem sambuci odorem flores spirant. Calyx tubulosus ventricosus & pilosus supra medietatem dividitur in quinque dentes acuminatos erectos & æquales. Corollæ ochroleucæ & villosiusculæ tubus brevis ilico in faucem longam continuatur, ut hæc pro tubi parte haberi quoque possit. Labii superioris ex ovato oblongi erectique apex est bifidus. Stigma bifidum & acutum patet. Filamenta sunt hirsuta. Germina nitida. Semina angulata, obtusa & fusca. Floret in alpinis Julio, culta Junio.

TABULA SEPTUAGESIMA NONA.

SENECIO ABROTANIFOLIUS. *Linn. syst. pag. 552. Jacq. enum. vind. pag. 288. Scop. carn. 2. p. 167.*

Solidago foliis vaginosis, pinnatis, pinnis perangustis, acutis, simplicibus, & bifidis. Hall. hist. helv. num. 71.

Chry-



Chrysanthemum alpinum secundum. *Clus. hist.* 333.

Chrysanthemum alpinum, foliis abrotani multifidis. *Bauh. pin.* 134.

Jacobæa alpina, foliis multifidis, *Etscheriana*, flore luteo, plerumque gemello.
Plukn. alm. 194.

Ageratum ferulaceum Dalechampii. *Bauh. hist.* 3. part. 1. pag. 152.

Achillæa montana, *Artemisiæ tenuifoliæ* facie. *Lob. ic.* 746.

Tota planta nitida est. Ex radice perenni & fibrosa caulis exit teres, foliosus, basi procumbens, ibidem radículas terræ immittens, tandemque radicis ipsius partem efformans; dum sic etiam se planta propagat, & cespitosa ac multicaulis evadit. Exhinc caulis erigitur, semipedalis vel sesquipedalis, superne striatus, in summitate gerens florem, & ex foliorum extremorum alis pedunculis sive ramis simplicibus unifloris, aut similiter divisus & paucifloris, numero vario ab unico ad decem auctus. Folia inferiora sunt divisa bipinnatifide & petiolata; superiora pinnatifide & sessilia; laciniis linearibus, acutis, sæpe crassiusculis. Calycis foliola crassa & virentia apicem habent fuscum, squamis ad basin vestiti brevioribus, cæterum similibus. Corollulæ luteæ radiantibus circiter decem, patentes, lineatæ, unciales, oblongæ, obtusæ, emarginatæ simpliciter vel cum denticulo interposito, rarius quadridentatæ. Semina glabra, & linearia coronantur pappo piloso sordide albescenti. Floret a Julio ad Septembrim. In subalpinis muscosis saxosis crescit haud infrequens. Ex alpebus Carpaticis plurima specimina clarissimus Lipp attulit, omnia uniflora.

TABULA OCTOGESIMA.

GALIUM AUSTRIACUM.

Radix fusca, tenuis & repens perennat. Caules basi procumbentes ramique erecti sunt tetragoni, tenues, ad nodos rotundati, nitidi & glaberrimi. Folia numero variant a quinis ad decem, linearia aut paulo magis latefcentia, nitida, glabra, plana, in mucronem sive aristam terminata brevem, & patentia. Flosculi exigui & nivei ultimis ramulis insident magis minusve divisus. Fructus subsequuntur obverse ovati, glabri, parum incurvati, parvi & nigricantes. Floret Majo & Junio; incolens montes saxosos apricos. Cauliculus fructiger ex plantula magis pusilla est. A Galio glauco differt caulibus quadrangularibus & statura minore. A Galio uliginoso imprimis foliis neutiquam retrorsum serrato-aculeatis, tum etiam solo natali. Cum Galio aspero Schreberi, in Halleriana stirpium Helveticarum Historia sub numero 715. descripto, & in alpebus nostris copiosissime crescente, quam maxime congruit; diversum tamen non minus glabritie omnium partium summa & constante.

TABULA OCTOGESIMA PRIMA.

GALIUM GLAUCUM. *Linn. syst. pag.* 118. *Scop. carn.* 1. p. 103.

Galium foliis octonis, obtusis, supremis lanceolatis; floribus in summa planta fasciculatis. *Hall. hist. helv. num.* 716.

Gallium saxatile, glauco folio. *Bocc. mus.* 2. p. 172. t. 116.

Rubia montana angustifolia. *Bauh. pin.* 333. *prodr.* 145.

Ex radice fibrosa rufescente & perenni caules exoriuntur singulares vel plures, erecti, teretes, nitidi, firmi, sæpe flexuosi, supra nodos incrassati, ex glauco virentes, sesquipedales vel duplo altiores, superne per trichotomias in ramos plures subdivisi. Ultimi



ramuli umbellatim flores tres, quatuor aut quinque gerunt. Folia sunt sublinearia, patentissima vel erecta, rarius deflexa, pollicaria, facie glaberrima & virentia, dorso magis pallentia & ad digitum motum asperiuscula, in spinulam innocuam terminata, in quolibet verticillo circiter octona, in summis pauciora, lateribus valde revoluta, atque hinc apparen- ter angustiora. Corollæ albæ tubus est campanulatus, & laciniae patentissimæ cum extremitatibus reflexis. Antheræ flavent, effætæ fuscescunt. Fructus subrotundi maturita- te abeunt in semina duo, parva, glabra, obverse ovata, ad microscopium rugosa. Flo- ret Junio. Fructus Julio maturescunt. Loca incolit aspera, imprimis ad fruticeta & margines sylvarum.

TABULA OCTOGESIMA SECUNDA.

AGARICUS ALLIACEUS. *Jacq. enum. vindob. pag. 299.*

Augusto & Septembri in sylvis subalpinis umbrosis & sterilibus haud infrequentem hunc fungum inveni per plures annos, forma vix variantem, & foetore alliaceo forti val- deque ingrato præditum, etiam per octiduum asservato fungo pertinaciter adhærente. Sem- per fungi basin ligno putrido, ad uncialem circiter profunditatem sub terra recondito, in- crescentem observavi, ibidem plerumque incurvatam, & hinc emittentem stipitem rectum, tenuem, firmum, nudum, semipedalem, nitidum, nigrum, striis paucis insignitum vel ex adverso nullis, intus cavum & fordide pallentem. Pileus integerrimus vel rarius levif- sime ad oras denticulatus, glaber, opacus, convexus, diametri fesquipollicaris, superne e fusco pallet, vel cum pallore fuscescit, interdum etiam, cujusmodi depingitur, satura- tius. Lamellæ pallent, inæquales, simplices pleræque, pauciores bifidæ. Matrîci vix adhæret, idque solo baseos apice, ut ex terra evulsum olim terrestrem crediderim, qui putridorum lignorum parasitus est. Nunquam fungum hunc multiplicem inveni. Cele- berrimus Linnæus suspicatur esse sui Agarici campanulati varietatem.

TABULA OCTOGESIMA TERTIA.

PAPAVER ALPINUM. *Linn. syst. pag. 360.*

Papaver Burseri. Crantz. fasc. 138. tab. 6. f. 4.

Radix perennis, subfibrosa, fuscescens, ætate cespitose exit in cauliformia capita, quæ basi procumbentia & foliorum præteritorum reliquiis petiolaribus capillata, superne surrecta emittunt folia plurima dense atque imbricatim exorta scaposque axillares. Illa ex petiolis longis, purpureis, ciliatis, ante sulcatis ac fragilibus, bipinnatifide desinunt in pinnas exiguas bifidas trifidas vel simplices; laciniis lanceolatis, glaucis, utrinque pilis al- bis hirtis, in similemque pilum terminatis: quæ tamen hirsuties major minorve obtinet in individuis diversis, ita tamen, ut vere planeque absentem in examinatis numerosis depre- henderim nunquam. Scapi eriguntur, semipedales, teretes, & pilis albis appressis hisp- di. In flore solitario, erecto, debili suaveolentia prædito, & ratione plantulæ plerumque magno, calyx est diphyllus hirsutus & caducus. Petala quatuor, raro plura, opposita duo reliquis duplo latiora, patentissima, longitudinaliter tantisper rugosa, perpetuo in alpi- bus nostris tota nivea. Antheræ luteæ. Capsula obverse ovata vel magis oblonga & pilis ere- ctis hirta coronatur stigmate quadrifido, quinquefido vel sexfido. Crescit in præcipitiis saxosis alpium, aqua imprimis præterlabente irriguis. Floret Julio & Augusto. Semi- na perficit Augusto & Septembri. Culta in horro non mutavit habitum. Synonyma om- nia Papaveris alpini flore luteo hic omisi, valde dubius, utrum re vera huc pertineant?

Ex



Ex figura solum Seguierium huc referre potuissem. Oederi tabula quadragesima prima, quam pro sua planta citat Hallerus, in nostram stirpem minime quadrat. In missis Hallerianæ plantæ numero 1062 ficcis speciminibus folia sunt glaberrima omnia, ut ne vel lente conspici pilus ullus queat; foliola sunt etiam duplo longiora ad eandem latitudinem. Hæc si in Papavere luteo flore constarent, facilis esset distinctio. Decidere poterit, qui utrumque vivum videre.

TABULA OCTOGESIMA QUARTA.

SATYRIUM EPIPOGIUM. *Linn. syst. pag. 591. Jacq. enum. vindob. p. 164. Crantz. fasc. 477.*

Epipactis caule aphylo, flore supinato, libello ovato lanceolato, calcare ovato turgido. *Hall. hist. helv. num. 1289.*

Epipogium. *Gmel. fib. 1. p. 12. t. 2. f. 2.*

Peregrinus omnino, ut Halleri exordiar verbis, hujus plantæ habitus est. Radix ramosa, compressa, carnosæ, albicans, fragilis, cespitose aggregata partimque connata, & perennis, in terra levi ex putrefactis foliis ramisque exorta nidulatur, & mense Septembri, dum fructus maturescere incipiunt, novos turiones adscendentes producit, proximo anno in scapos elongandos, cujusmodi tres turiones in depicta radice spectantur, jam egredientes. Scapi teretes, fistulosi, erecti, nitidi, tenelli, sordide albentes aut purpurascentes, & simplices, ad intervalla vestiuntur spathis membranaceis & amplexicaulibus, atque basi ipsa aut paulo altiori loco in tumorem ampliantur, ibidem non minus innanes. Spathæ florales sunt lanceolatæ vel ovatæ. Pedunculi breves. Flores penduli, eodem inclinati, pauci, interdum unicus, toti ita invertuntur, ut cornu nectarii summum locum occupet. Germen ex subrotundo ovatum & obtuse trigonum pallide flavet, lineisque obsolete purpureis inscribitur geminis in quolibet latere. Ex petalis quinque lanceolatis, concavis, & flavescentibus, tria exteriora duplo angustiora patent, duo interiora antrorsum & deorsum porriguntur. Nectarii cornu adscendens, obtusum, pallide carneum & crassum longitudine germen æquat. Labii lacinia media amplior, erecta, concava, subacutâ & ferme cordata, intus ex albo & purpureo variegatur, habetque limbum antice fimbriato-erosum. Lacinia laterales semiovatæ producuntur antrorsum. Stylus difformis & declinatus ampliatur in os trifidum patens & obtusum, cujus sunt lacinia laterales breves & minores, dorsalis autem major, cui imponitur cucullus subrotundus, depressus, bilocularis, & antice apertus. Filamenta duo antheras gerunt flavas ovatas acutatas & sulcatas. Capsula ex subrotundo ovata & obtuse trigona, latere altero reliquis duplo latiore, femina includit numerosa & minutissima. Hinc ad latus sistitur flos integer, antice conspectus. Inde pistillum æctum cum stamine extra situm naturalem protracto. Crescit in subalpinis umbrosis sterilibus. Floret Augusto.

TABULA OCTOGESIMA QUINTA.

ANEMONE ALPINA. *Linn. syst. pag. 375. Crantz. fasc. pag. 124. tab. 3. fig. 2.*

Anemone burseriana. *Scop. carn. 1. pag. 385.*

Anemone foliis triplicato-pinnatis, acute circumferratis, caulinis ternatis, tubis caudatis. *Hall hist. helv. num. 1149.*

Anemone sylvestris secunda. *Clus. hist. 244.*



Anemone alpina alba major. *Baub. pin. 176. prodr. 94.*

Pulsatilla alba. *Lob. ic. 282.*

Pulsatilla flore albo. *Baub. pin. 177.*

Radix perennis, longa, calamus aut digitum crassa, simplex vel in crura rarius divisa, foris nigricans, intus albida, scabra & inæqualis, sapore gaudet acri, & reliquis coronatur emarcidis priorum foliorum. Caulis teres, fere semper unicus, basi purpurascens, pilis mollibus hirsutus, a tribus uncis ad tredecim altus, erectusque, florem sustinet singularem, & ad diversam in diversis individuis altitudinem folia exerit terna ex lata vagina orta, cæterum nudus. Flori petala sunt ut plurimum sena, rarius plura, ovata, patula, extus pilosa & sæpe purpurascencia, intus glabra albaque aut in luteum colorem magis minusve tendentia, interdum duplo majora quam depicta. Antheræ luteæ insident filamentis corolla duplo vel triplo brevioribus. Semina ovalia, utrinque acuta, inque globum collecta, abeunt singula in caudam longissimam molli hirsutie ferme ad apicem usque plumosam. Ex radice folium unum dumtaxat alterumque prodit ternatum: foliolis pinnatis, interdum etiam ipsis triternatis; pinnis pinnatifide incisis, facie glabris, dorso & margine pilosis, acutis. Cæterum valde variant, cum hirsutie majore, vel ex adverso tantilla, quæ oculos ferme fugiat; tum quod magnitudine differant vel absoluta, vel relativa ad plantæ ætatem, ut sint aut tripollicaria cum petiolis brevissimis, aut semipedalia suffulta petiolo communi etiam semipedali. Nunquam in Austria specimen invenire licuit Clusianæ iconi quoad folia convenientem, sed conveniunt eidem optime missa ab illustri Hallero specimina Helvetica, uti elucet ex foliolo eorundem *a*, respondente foliolo *b*. Huic aliquomodo accedebat ex specimine Austriaco desumptum foliolum *c*. Littera *d* indicat idem foliolum ex folio maximo. Nec minus variant folia caulina, ab unica ad sex uncias longa; ternata semper singula; sed quorum foliola modo longe petiolata sunt omnia, modo omnia vaginæ sessilia inhærent, aut denuo ita inhærent sola utrinque lateraliter, dum intermedium petiolo instruitur. Crescit passim in pratis subalpinis inque alpium saxosis, florens pro varia foli altitudine a Majo ad Septembrim. Fructus etiam maturus adpingitur.

TABULA OCTOGESIMA SEXTA.

GNAPHALIUM LEONTOPODIUM. *Linn. spec. pl. edit. 1. pag. 855.*

Scop. carn. 2. pag. 150.

Gnaphalium alpinum. *Clus. hist. 328.*

Gnaphalium alpinum, magno flore, folio oblongo. *Baub. pin. 264.*

Gnaphalium alpinum pulchrum. *Baub. hist. 3. p. 161.*

Filago floribus sessilibus, umbellatis, foliis tomentosis umbellam excedentibus. *Hall. hist. belv. num. 152.*

Leontopodium. *Dod. pempt. 1. l. 3. c. 16.*

Plantula elegans ex radice nigra lignosa perenni & multicipite cauliculos profert plures, erectos, biunciales, tomentosos & annuos. Folia sunt oblonga, obtusa, integerrima, basi attenuata, radicalia in petiolum; atque hæc & caulina inferiora facie viridia, dorso alba; reliqua utrinque candicantia; summa circiter decem nivea & lana multa densissime vestita, perque hanc cum invicem circa basin connexa, & in rosulam imbricatam expansa. Ex his interiora supra basin florem gerunt singularem subsessilem, unico flore centrali caulem terminante, dum sic seni circiter flores compositi rosulæ foliaceæ occupant interiorem discum. In extimis etiam foliis sæpe conspiciuntur rudimenta similium florum, qui ad perfectionem non pervenerunt. Flores itaque circumferentiæ insident foliis, uti in Turnera. Calyces communes ex ovato oblongi & flosculis pauxillo breviores sunt valde



de lanati. Constant foliolis circiter triginta, imbricatis, erectis, concavis, nitidis, virentibus cum margine membranaceo nigricante; exterioribus ovatis & obtusis, interioribus oblongis magisque acutis. Lentis ope dum attente omnes flosculos examinavi, non potui reperire discrimen inter flores circumferentiæ & florem centralem. In omnibus vidi duplex flosculorum genus, nec, præter hos, alios. Scilicet in medio locantur numerosi flosculi hermaphroditi, quibus est corollula subinfundibuliformis, pallida, limbo quinquefido patente. Anthera tubulosa, flava, petalo pauxillo longior & quinqueidentata. Germen oblongum villosum, & stylus villosus cum stigmate simplici obtuso. In ambitu pauci sunt flosculi corolla & staminibus destituti, mero constantes pistillo ex germine magis ovali & stylo abeunte in stigma reflexum bifidum vel quadrifidum. Semina coronantur pappo subplumoso. Crescit in summis alpium jugis, ubi floret a Junio ad Septembrim. In margine exhibetur quoque fastigium caulis cum flore centrali & duobus lateralibus, avulsis partibus reliquis, ut pateat florum insertio. Tum foliolum calycinum; auctusque flos fœmineus & hermaphroditus, pappo abstracto.

TABULA OCTOGESIMA SEPTIMA.

HIERACIUM VILLOSUM. *Linn. spec. pl. 23. pag. 1130. Jacq. enum. vind. pag. 271.*

Hieracium foliis villosis, integerrimis, radicalibus ligulatis, caulinis ovatis amplexicaulibus, calycibus villosis. *Hall. hist. belv. num. 44.*

Hieracium quintum villosum. *Clus. hist. CXLI.*

Hieracium alpinum latifolium villosum, magno flore. *Bauh. pin. 128. Seguiet. ver. 3. pag. 268. Moris. hist. 3. p. 70. s. 7. t. 5. f. 58.*

Hieracium alpinum, hirsuto folio, quintum Clusii, quodammodo incano. *Bauh. hist. 2. pag. 1027.*

Hieracium alpinum, latiore folio, pilosum, flore majore. *Pluk. alm. 184. t. 194. f. 2.*

Adeo variat in multis sui partibus hæc planta pro soli diversitate locoque natali magis vel minus alpino, ut concinnari difficulter descriptio possit, qui individuis competat omnibus. Radix inæqualis & perennis nigricat. Caulis erigitur, teres, pilosus, glaucescens cum punctis sæpe fuscis, ut plurimum semipedalis, qui aut simplicissimus unico flore terminatur, aut paucos habet ramos, plures autem, dum colitur in horto. Folia integerrima vel subdentata, acuta, glauca, longo mollique pilo sunt hirsuta, idque imprimis in costa dorsali & ad oras; radicalia & caulina inferiora oblonga cum basi attenuata; caulina subsequa subovata; summa subcordata amplexicaulia. Interdum etiam planta tota inferne glaberrima est, vel pilis rarissimis obsita. Flos ratione plantulæ maximus est. Calyx longo denso alboque villo barbatus in flore expanso valde patet, in marcescente magis erigitur. Corollæ cum stigmate & antheris sunt luteæ. Crescit passim in alpinis & subalpinis. Floret a Junio ad Septembrim. Omissa hæc planta in Systematis Naturæ editione duodecima fuit errore typographi.

TABULA OCTOGESIMA OCTAVA.

ASTER ALPINUS. *Linn. syst. pag. 554.*

Aster foliis radicalibus petiolatis, ovatis, scabris, caule unifloro. *Hall. hist. belv. num. 82. Gmel. fib. 2. pag. 173. t. 73. f. 2.*



Aster septimus, austriacus quintus. Clus. hist. XV.

Aster montanus cæruleus, magno flore, foliis oblongis. Baub. pin. 267.

Radix speciosæ plantulæ perennat, sæpe abrupta, nigricans, ab una ad sex uncias longa, vix calamum crassa, fibris aucta, plerumque multiceps, caules protrudit erectos, ab uncia una ad senas altos, teretes, hirsutos, simplicissimos, flore singulari terminatos. Folia sunt ex lanceolato oblonga, obtusa, alias etiam imprimis radicalia magis spathulata, in caule duo tria vel ad octo sessilia, integra, hirsuta, scabriuscula, ciliata, alterna; radicalia in petiolum attenuata. Sub flore ipso folium caulinum summum locatur. Calycis foliola sunt lanceolata, acuta, subhirsuta, plurima, omnia fere ejusdem longitudinis, & pleraque apice patentia. Corollulæ radii numerosæ, integræ & acutæ colore gaudent violaceo. In disco æque numerosæ sunt luteæ. Stigmata propriis corollulis concoloria sunt. Antheræ luteæ. Crescit in alpium jugis herbidis. Floret æstate.

TABULA OCTOGESIMA NONA.

CARDUUS DEFLORATUS. *Linn. syst. pag. 529. Jacq. enum. vindob. pag. 277.*

Carduus inermis, foliis ciliatis, scapo nudo, paucifloro. Hall. hist. helv. num. 164. tab. 4. f. 2.

Carduus dictus Cirsium folio laciniato, nigrius. Baub. hist. 3. part. 1. pag. 43.

Cirsium tertium montanum. Clus. hist. CXLIX.

Cirsium singularibus capitulis parvis. Baub. pin. 377.

Ex radice perenni, fusca aut nigricante, longa, fibris aucta, salivam colore rufo inficiente, saporis subacris & ingrati, caules adscendunt plures, angulati, glabri, foliosi, simplices plerumque, abeuntes in pedunculos aphyllis, longos, sublanuginosos, paucissimos, qui florem sustinent singularem & erectum. Folia ex lanceolato-oblonga, serrata, spinuloso-ciliata, nec tamen pungentia, nitida, acuta, ad tactum pingua, per caulem decurrentia, dorso glauca sunt, facie pallidius virent. Calycis squamæ mucronatæ, molles, virides, angustæ & glabræ patent. Corolla cum rubore purpurascit. Semina ex fusco pallentia & nitida pappo coronantur piloso. Flores adulti & fructus modo penduli sunt, modo erecti. Floret a Julio ad Septembrim crescens in subalpinis herbidis & pratensibus saxosis.

TABULA NONAGESIMA.

CARDUUS TARTARICUS. *Linn. syst. pag. 530. sp. pl. pag. 1155.*

In orta ex semine planta primo anno sola radicalia folia nascuntur; altero & subsequis ex radice ramosa fibrosa albida nec tuberosa caules elevantur erecti, sulcato-striati; in parte nervo folii medio subiecta, idque inferne manifestius, magis acute angulati; longe ramosi, subflexuosi, quadripedales, & parum lanati. Folia radicalia & caulina infima, cujusmodi specimen a latere depingitur, sunt ex lanceolato oblonga, amplexicaulia & pinatifida. Subsequum unum alterumve est sinuatum. Caulina reliqua longe lanceolata, vixque divisa. Omnia dentata, spinoso-ciliata, pungentia, acuta, femiamplexicaulia; inferiora subpubescentia & plana; summa glabriora, & ex his quædam basi concava. Flores odore aliquo præditi erectique in foliis ultimis minimis paucisque congestis solitarii sunt, & sessiles, sicque terminant ramos. Tandem ramuli etiam aliquot in pedunculos uniflo-



ros aphyllasque elongantur, ita ut planta in adolescentia Cnicum Linnæanum referat, Carduum in senectute. Calycis ovati squamæ lanceolatæ in mollem spinulam patulam & vix pungentem, inferiores albidam, superiores purpurascentem desinunt; accumbunt sibi mutuo arctissime; & extus paucis villos arachnoideo connectuntur. Floris nedum evoluti discus est planus & ochroleucus. Corollulæ expansæ sunt albidæ, limbumque habent æqualiter incisum. Anthera in principio purpurea est, sed brevi pallide fuscum sordentemque colorem induit. Stylus albet. Pappus plumosus semina nitida coronat. Receptaculum planum pilis sericeis albis densisque obtegitur. Floret Julio & Augusto. Rami principalis extremam florentem partem pictor expressit; & sunt hi rami ferme cauli similes. Crescit rarissime in sylvis ad torrentes. Primus in Austria hunc Carduum vir amicissimus Franciscus a Mygind inventum mecum communicavit. Per tres annos continuos folia radicalia in culta planta a sylvestri haud abluferunt; hoc tandem quarto anno folia vidi multo profundius incisa magisque sic pinnatifida quam folium ad marginem depictum, una tamen cum aliis foliis eodem illo depicto folio etiam multo magis integris.

TABULA NONAGESIMA PRIMA.

CARDUUS RIVULARIS.

In pratis quibusdam udis, imprimis in rivulis hæc permeantibus, copiosissime crescit, florere incipiens circa medium Majum. Radix perennis, digitum crassa, albida, fibrisque longis aucta, horizontaliter pergit, non tuberosa. Caulis exsurgit plerumque unicus, duos tresve pedes altus, erectus, teres, cavus, parum villosus, inferne angulatus, superne striatus; sæpius simplicissimus, interdum tamen etiam ramulos breves & unifloros ex aliquot vel rarius ex omnium foliorum axillis producit; quandoque, imprimis superne, villos lanuginoso albido vestitus, terminatus flore unico vel paucis in capitulum congestis, rarius quinis, senis vel pluribus, inferioribus tunc pedunculatis. Proximo anno ad latus caulis prioris novus egreditur. Folia radicalia infima, tum præcipue illa primi anni, sunt obversæ lanceolata, basi in petiolum attenuata & dentata. Reliqua sessilia aut amplexicaulia, nec decurrentia, pinnatifida, magis minusve profunde incisa; laciniis lanceolatis vel oblongis, acuminatis, ciliato-ferrulatis, innocuis; extrema majore. Omnia subvillosa, facie saturatius virenti, dorso magis albicantia. Caulis vero superior pars loco foliorum paucissimas diffusasque bracteas lanceolato-acuminatas gerit. Calyx ovatus, subglutinosus, nec villosus, componitur ex squamis lanceolato-acuminatis, innocuis, exterioribus obscure virentibus, interioribus atropurpureis & gradatim longioribus. Corollulæ purpureæ in quinque lacinias lineares obtusas & æquales dividuntur. Stylus in stigma abit longum tenue & canaliculatum. Antheræ albet. Semina coronantur pappo subplumoso.

TABULA NONAGESIMA SECUNDA.

ARNICA DORONICUM.

Doronicum secundum, Austriacum primum. *Clus. hist. XVI.*

Doronicum longifolium, hirsutæ asperum. *Bauh. pin. 185.*

Antea retuleram hanc plantam ad Senecionem Doronicum Linnæi, a quo differt. Nec est Arnica Halleri num. 91, uti ex missa a celeberrimo Allionio Halleriana planta facile didici, quam etiam ex Tyroli sponte crescentem accepi, quæque inter nostram hanc Arnicam Doronicum & Clusii Doronicum quartum styriacum media mihi planta videtur,



ab utrisque diversa. Radix in nostra extus nigricat, intus pallet, calamus vel digitum minimum crassitie, longitudine unciam unam alteramve æquat, plerumque horizontalem sub terra situm servat, geniculatim prolifera, atque hinc a matre avulsa, aut hac destructa, in finem definit præmorsum, fibris simul crassis longis pallidis rectaque in terram descendentibus munitur, odore gaudet aromatico, atque etiam tali sapore cum junctis amarore & levi acredine. Hæc ab alpicolis tanquam stomachicum commendatur, dicta nostratibus Gemswurzel. Caulis a tribus ad novem uncias altus, teres, striatus, simplicissimus, pilosus & subhirtus erigitur. Folia sunt lanceolata, obsolete & rariter dentata vel integerrima, acuta, venosa, rugosa, pilosa, ciliata, & aspera; caulina femiamplexicaulia; radicalia longius petiolata magisque obtusa, in plantis novellis sæpe rotundato-spatulata. Flos semper unicus & subodoratus caulem terminat. Calyx communis valde planus, & patentissimus, qui a tergo depictus in margine sistitur, constat foliolis duplici serie positis circiter quinque & viginti, lanceolato-acuminatis, apice haud sphacelatis, villosis, interioribus angustioribus & paulo brevioribus. Corollulæ femineæ in radio plano & patentissimo sunt oblongæ, lineatæ, calyce longiores, apicem in quatuor aut duos aut tres denticulos sectum habentes, numero a viginti ad quadraginta. Hermaphroditæ corollulæ disci sunt tubulosæ, subcampaniformes, patulæ, inque limbum divisæ quinquefidum. Anthera lutea, cylindræa, tubulosa, apice quinqueidentata est, nec basi in setas definit. Utrisque flosculis fertilibus & luteis germina sunt oblonga ac villosa, & stigmata bifida. Receptaculum conicum & nudum semina locat pappo piloso sessili coronata omnia. Crescit in summis alpibus ad earundemque præcipitia, locis saxosis tenui terra obductis, florens a Julio ad Septembrim. Adstat in margine etiam flos disci, pappo avulso, ut pateat ejusdem figura.

TABULA NONAGESIMA TERTIA.

LEONTODON ALPINUM.

Radix perennis, calamus crassa, unciam unam alteramve longa, nigricat, fibrillas undique generans albicantes. Folia sunt oblonga, utrinque attenuata, acuta, argute dentata, utrinque pilosa, longiora semipedalia, ad basin quandoque purpurea. Scapus aphyllus erigitur, striatus, inanis, superne bractea una alterave instructus, infra florem subasper & parum tumens, simplicissimus, uniflorus, & semipedalis vel paulo altior. Calyx ex ovato oblongus, angulatus, niger, & hispidus pilis albis, constat squamis imbricatis, anguste lanceolatis, acuminatis, erectis, pluribus, interioribus longioribus. Corollulæ luteæ, patentissimæ, quinqueidentatæ, calycem ad duplum superant, & denticulum sæpe aliquem lateralem incisum habent in laciniam linearem vel ad tubum usque. Anthera est lutea. Germina oblonga, angulata & glabra. Styli longi. Stigmata lutea & reflexa. Receptaculum nudum. Semina pappo coronantur sessili & valde plumoso. Ad latus adstat calyx cum corollulis paucis exterioribus, ut simul harum dorsalis fasciæ longitudinalis fuscescens conspici possit, quæ in interioribus corollulis desideratur. Crescit in herbidis alpium jugis, florens a Julio ad Septembrim. Reperitur etiam in alpibus Hungariæ Carpathicis. Ab Hieracio Halleri num. 41, differt scapo aphylo, semper unifloro.

TABULA NONAGESIMA QUARTA.

GALIMUM ROTUNDIFOLIUM. Linn. syst. pag. 118. Scop. carn. 1. pag. 102.

Galium foliis quaternis, petiolis longissimis, brachiatis, seminibus hirsutis. Hall. bist. belv. num. 727.



Rubia quadrifolia rotunda lævis. *Baub. pin.* 334. *prodr.* 145.

Rubia quadrifolia, femine duplici hispido. *Baub. hist.* 3. p. 718. *Moris. hist.* 3. pag. 329. s. 9. t. 21. f. 4.

Rubia femine duplici hispido, latis & hirsutis foliis. *Moris. hist.* 3. p. 329. s. 9. t. 21. f. 5.

Cruciata minor, glabra, flore molluginis albo. *Barr. ic.* 323.

Cruciata major, villosa, flore molluginis albo. *Barr. ic.* 324.

In Mantissa Linnæana ad *Asperulas* hæc planta amandatur, si quidem de eadem præcise ibidem sermo est. Radix perennis, fibrosa, ramosa, fuscescens, & duas tresve lineas crassa, plures protrudit caules herbaceos, præ debilitate magnam partem procumbentes, tetragonos, glabriusculos, omnino ramosissimos, semipedales vel ad summum pedales, in circulem sæpe ambitum diffusos. Folia sunt quaterna, obverse ovata, obtusa cum exiguo mucrone interdum absente, trinervia, per oras exiguis pilis ciliata, ipsa cæterum villis utrinque minutissimis paucis & vix conspicuis aspera. Ramuli abeunt in pedunculos binos vel ternos, bifidos simplices vel ternos ipsos, & capillares. Corollæ pusillæ, albæ, aliæ planissimæ, aliæ basi levissime campanulata; laciniis semiovatis & acutis; tubo vix ullo. Germina feminaque hispida sunt pilis uncinatis. Antheræ pallent. Crescit in sylvis subalpinis ad earundemque margines. Floret Julio & Augusto. Exortus ex radice principe cauliculus aliquis, nec valde ramosus ille, basi etiam de nodis radicans, in tabula depingitur.

TABULA NONAGESIMA QUINTA.

CORONILLA CORONATA. *Linn. syst. pag.* 491. *Crantz. fasc. pag.* 431.

Coronilla montana. *Riv. irr. tetr. tab.* 93. *Jacq. vind. pag.* 134. *Scop. carn. 2. pag.* 72. *tab.* 44.

Coronilla caule erecto, foliis undenis ovatis, floribus umbellatis, filiquis articulatis pendulis. *Hall. hist. helv. num.* 388.

Colutea scorpioides altera. *Clus. hist.* 98.

Colutea filiquosa minor coronata. *Baub. pin.* 397.

Colutea scorpioides quibusdam, sive polygalo Cortusi similis planta, sed major. *Baub. hist.* 1. part. 2. pag. 382.

Radix perennis, lignosa, extus cum flavedine fuscescens, longa, sæpe divisa, petrarum fissuras profunde ingreditur, difficulter hinc integra evellenda. Caules producit annuatim plures, basi subfruticulosos & adscendentes, cæterum erectos atque herbaceos, teretes & vix angulatos, glabros, pedales vel altiores, firmosque. Folia sunt pinnata ex foliolis utrinque numero incerto a tribus ad septem cum impari terminante, frequentius tamen quaternis vel quinis; costæ planiusculæ & superne canaliculatæ adnexis. Sunt glauca, glabra, subovata aut magis rotundata, integerrima aut emarginata, crassiuscula, denticulo innocuo brevique terminata, eodemque rarius destituta. Infima ad ipsum exortum inferuntur costæ, cui egredienti opponitur in caule ramisque stipula pallida, aut lata ac bifida, aut plane diphylla lateribusque vicinior. Pedunculi virgati axillares & erecti umbella florum coronantur elegante densa & suaveolente. Pedicelli proprii ex fusco rubent. Floribus pendulis calyx est viridis, corolla lutea cum carina alis multo brevior, & stamina diadelpa. Legumina articulata, inæqualia, acuminata, fusca, & pendula, continent femina pauca oblonga & nitida. Crescit in montosis asperis. Floret Junio & Julio. Perficit Augusto semina.



TABULA NONAGESIMA SEXTA.

SILENE ALPESTRIS.

Lychnis quadrifida. Scop. carn. 1. pag. 307.

Lychnis sylvestris decima. Clus. hist. 291.

Lychnis viscosa alba angustifolia major. Bauh. pin. 205.

Caryophyllus minimus humilis alter exoticus flore candido amœno. Lob. ic. 445.

Merito separaverunt illustrissimus Hallerus, & clarissimus Willichius in ill. p. 25, hanc plantam a Viscagine num. 918, sive a *Silene quadrifida* Linnæi, pro qua antea habueram, & a qua imprimis distingui facile potest fructibus ex conico oblongis, nec subrotundis. Stylos quatuor & quinque numerasse se dicunt nobilissimus de Mygind & clarissimus Scopoli; ego constanter ternos vidi. Crescit copiose & passim in subalpinis ad margines sylvarum aliisque etiam in udis, florens totam æstatem, staturæ valde variæ, biuncialis, etiam fere pedalis, ut depicta sit ex mediocribus. Radix perennis, tenuis, teres, fuscescens, ramosa, fibrosa, longa & multiceps caules producit plures, adscendentes, teretes, purpurascens aut magis virides, foliosos, in majoribus individuis supra mediætatem subdichotomos, aut etiam in his, uti in minimis, unifloros vel parum divisos, superne glutinosos. Cultæ plantæ radix sub terra stolones emittit, & brevi cespitem densum constituit plantæ in habitu cæterum non mutatæ. Flores eriguntur. Petala nivea ex angusto ungue in bracteam ferme triangularem expanduntur, margine magis minusve profunde quadrifidam & in exortu eminentibus duobus denticulis notatam. Calyx tubulosus apice quinquefidus est. Antheræ pallent. Capsula ex conico oblonga, obtusa, & apice sexvalvis semina includit plurima, plana, subreniformia, ciliata & ferruginea. Folia sunt lineari-lanceolata, acuta, opposita, sessilia, glabra, plana, semunciam vel duas uncias longa; infima in ramulis noviter prodeuntibus aggregata; saporis amaricantis & ingrati. Adstat in margine semen in magnitudine nativa, idemque auctum.

TABULA NONAGESIMA SEPTIMA.

THYMUS ALPINUS. Linn. syst. pag. 399. Scop. carn. 1. p. 425.

Thymus montanus. Crantz. fasc. 278.

Clinopodium austriacum. Clus. hist. 353.

Clinopodium foliis ovatis, acutis, ferratis; flore folio majori. Hall. hist. belv. num. 238.

Clinopodium montanum. Bauh. pin. 225. Bocc. mus. p. 50. tab. 45.

Acini pulchra species. Bauh. hist. 3. p. 260.

Ex radice fusca, valde fibrosa & perenni exoriuntur caules plures, adscendentes, tetragoni, purpurascens, villosi, semipedales, ad basin sæpe ramosissimi, unde densus tunc caulium cespes exsurgit. Folia sunt opposita, petiolata, subovata, basi attenuata, nunc rotundiora, nunc magis angusta, acuta vel obtusa, ad oras levissime villosa, cæterum ferme glabra, supra medium obiter dentata. Flores in brevibus pedunculis verticillatim axillis foliorum insident; infimi utrinque solitarii, bini; superiores terni; odorati & foliis plerumque longiores. Bractæ sunt exiguæ. Calyx incurvatus, villosus, striatus, superne purpurascens & subtus virens, intus villis albis obducitur, in fauce conniventibus. Corollæ violacæ tubus externe villosus calycem bis superat. Labii inferioris discus ad faucium introitum circulo elevato albido notatur. Antheræ pallent. Semina sunt ex oblongo ovata. Floret pro varia montium elevatione a Majo ad Septembrim.



TABULA NONAGESIMA OCTAVA.

RHODODENDRON HIRSUTUM. *Linn. syst. pag. 299. Scop. carn. 1. pag. 286.*

Rhododendron foliis ovatis, ciliatis, subtus punctatis. *Hall. hist. helv. num. 1016.*

Ledum alpinum. *Clus. hist. 81.*

Ledum alpinum hirsutum. *Bauh. pin. 468.*

Nerium alpinum quibusdam, aliis Ledum hirsutum. *Bauh. hist. 2. pag. 21.*

Balsamum alpinum Gesneri. *Lob. ic. 367.*

Inter elegantissimas, quæ alpes ornant, plantas merito hæc recensenda venit; nec culta amittens venustatem suam. Tota quanta odorem spirat balsamicum subterebinthinaceum. Radix dura, digitum crassa, longaque, rupium fissuras ingreditur, vix integre evellenda. Et ipsi etiam rami, qui per terram sparguntur, radículas interdum agere observantur. Cæterum frutex distortus & valde ramosus altitudinem variam ab uno ad quatuor pedes adipiscitur pro diversitate soli locique natalis. Materies cum virore albicat. Cortex fuscescit. Rami juniores pilosi virent. Pedunculi, calyx, corollaque externe, punctis glandulosis adsparguntur albis. Folia sunt subovata, obtusiuscula, obsolete crenulata, ex plerisque crenis pilo longo albido ciliata, cæterum glabra, petiolata, inordinate alternantia; facie venulosa, parum punctata & saturate virentia; dorso pallidiora & adspersa pluribus punctis fuscis, quæ microscopio conspecta guttulas sive tubercula pellucida gummosa mentiuntur. In extremitate ramusculorum gemma enascitur ovata obtusa, & ex squamis concavis imbricatis composita. Ex singulis hisce squamis, aut tunc jam delapsis, aut adhucdum persistentibus, enascitur pedunculus teres, erectus, circiter pollicaris, superne rubescens, & flore terminatus solitario parumper nutante. Omnes pedunculo communi, tunc una cum squamis mediis elevato, inhærent, ut sic racemi species exsurgat. Perianthium constat foliolis quinque, exiguis, linearibus, hirsutis, rubentibus & persistentibus. Corolla monopetala rubra & speciosa ex tubo oblongo & obtuse quinquangulari expanditur in limbum quinquefidum infundibuliformem & patentissimum: laciniis subovatis, æqualibus, obtusis. Filamenta decem, alba, subulata, & subdeclinata, inferiora gradatim longiora, tubum corollæ haud excedunt. Antheræ oblongæ & flavæ adscendunt. Germini subrotundo & pentagono insidet stylus filiformis longitudine & situ staminum cum stigmate obtuso. Capsula erecta, ex ovato oblonga, fusca, punctis exasperata, quinquangularis, inque totidem loculamenta & valvulas distincta, continet semina plurima oblonga minima & fulva. Floret a Junio ad Augustum. Semina dat Septembri. Folii pars aucti pingitur in margine.

TABULA NONAGESIMA NONA.

ARTEMISIA PONTICA. *Linn. syst. pag. 542.*

Artemisia foliis duplicato-pinnatis, pinnulis parallelis, tomentosis. *Hall. hist. helv. num. 129.*

Absointhium ponticum. *Camer. epit. pag. 454.*

Absointhium ponticum vulgare. *Clus. hist. 339. Bauh. hist. 3. part. 1. pag. 175.*

Absointhium ponticum tenuifolium incanum. *Bauh. pin. 138. Duham. arbr. 1. pag. 24. tab. 6.*

Radix lignosa, perennis, teres, fusca, fibrillis aucta, horizontaliter sub terra serpit, in decursu caules novos emittit, sicque pergit multiplicare speciem, unde copiosæ semper plantæ in eodem nasci loco visuntur. Caules eriguntur, unum alterumve pedem alti, in culta etiam quadripedales, inferne glabri & ex rubro fusci, superne incani, foliosi, ramis



mis onusti plurimis axillaribus & erectiusculis, qui racematim gerunt flores cernuos ramusculis minimis propriis insidentes singulos. Folia caulina sunt bipinnata, utrinque tomentosa, facie glauca, dorso magis incana, plana, laciniis linearibus acutis. Hæc in plantis minoribus sæpe omnia horizontaliter patent, in majoribus magis propendent. Folia ramea inferiora & caulina superiora sunt simpliciter pinnata; summa autem omnia integerrima & simplicissima. Flores subrotundi & tomentoso-incani discum habent luteum. Calycis foliola circiter quindecim & imbricata sunt exteriora oblonga, glauca, foliis rameis summis similia; interiora vero magis rotundata, concava, membranacea, albida, & subpellucida. Flosculi sunt circiter viginti quatuor, toti glabri, sæpe glandulis pedicellatis minimis & vagis ornati. Quos inter fæminei in ambitu locantur plus minus feni, apetalii, ex flavo dilute virentes. Reliqui hermaphroditi discum occupant flaventes cum corolla infundibuliformi, limbo quinquesido patentissimo, anthera quinquedentata, & stigmate bifido reflexo. Receptaculum est conicum & nudum. Semina etiam nuda. Tota planta odore pollet grato ac aromatico; sapore autem quam in Absinthio vulgari multo minus amaro. Flos auctus sistitur in margine, una cum flosculo utriusque generis separato. Crescit in siccis apricis. Floret Septembri & Octobri.

TABULA CENTESIMA.

ARTEMISIA AUSTRIACA.

Absinthium austriacum tenuifolium. Clus. hist. 339. Bauh. hist. 3. part. 1. pag. 179.

Absinthium ponticum tenuifolium austriacum. Bauh. pin. 139.


Absinthium tridentinum herbariorum. Lob. ic. 752.

Absinthium seriphium. Dod. pempt. 1. l. 2. c. 4.

Radix plane convenit cum radice Artemisiæ ponticæ. Sunt vero caules erecti, annui, basi tamen ipsa lignosi & persistentes, teretes, inferne glabri, cæterum tomento albo vestiti, semipedales vel sesquipedales. Ramis augentur axillaribus numerosis, superiora versus sensim decrescenibus, adscendentibus; qui ipsi de foliorum priorum alis ramulos emittunt brevissimos, in caulibus brevioribus simplicissimos & unifloros, in majoribus vero dense multifloros. Folia sunt ex glauco incana, tomentosa, plana, nec teretia, in ramulis primo prodeuntibus integerrima, subsequa in elongatis trifida, atque sic paulatim divisione incrementa, ut tandem evadant subtriplicato-pinnata, & circumscriptione subrotunda: laciniis in prioribus magis obtusis & patentibus; in posterioribus magis angustis linearibus, acutioribus & conniventibus, nec plano situ porrectis. Summa folia iterum decrescunt. Flores ex ovato oblongi, vix duas lineas longi, cernui, atque hinc eodem versi omnes, toti externe villosi-tomentosi, in disco fusci, racemose locantur sessiles in summitatibus ramusculorum. Calycis imbricati squamæ exteriores sunt lineares foliisque similes. Interiores sunt longiores, ovatae, obtusæ, membranaceæ, concavæ, pallidæ, subpellucidæ, erectæ, & hirsutæ. Corollulæ hermaphroditæ circiter octo, infundibuliformes, & fuscæ, limbum habent quinquesidum patulum & vilis albis fere occultatum. Germen est oblongum. Anthera cylindræa & quinquedentata pallet. Fæminei flores apetalii adsunt a quatuor ad septem. Stylus est utrisque apice bifidus & reflexus. Receptaculum nudum continet femina nuda & oblonga. Tota planta grate & fortiter aromatica est, & Artemisiis pontica & absinthio mihi visa superior. Sapore pollet amaro. Crescit in apricis siccis tenui gramine vestitis & asperis locis. Floret Octobri. Tabula in figuris marginalibus exhibet florem integrum, calycis foliolum interius, flosculum hermaphroditum cum limbi divisione ob numerosos villos non apparente, & flosculum fæmineum, omnia aucta. In enumeratione habueram pro Artemisia maritima, a qua differt foliis multo minus tomentosis ac incanis, tum circumscriptione subrotundis nec oblongis, aliisque momentis.

EXPLICATIO
Ichnographice
Horti Botanici
Vindobonensis.

- AA. Via publica, vulgo
Rennweg.
B. Introitus ad hortum.
C. Area.
D. Domicilium Hortulani.
EEEE. Domicilium Professoris.
EE. Caldarium altius.
GG. Caldarium demissius.
HH. Hybernaculum.
IIII. Pulvini pro Serendis
primo vere seminibus.
L. Pratum.
MM. Fruticetum ex Stirpibus
aestatem sub dio, hiemem
in hybernaculo agentibus.
NNNN. Areolæ pro plantis
pharmaceuticis solis.
OO.O.O. Areolæ, quæ conti-
nent plantas herbaceas,
cum annuas, tum radice
perennante donatas, clima
nostrum ferentes, secun-
dum genuinum naturæ
nutum digestas.
PP. Areolæ pro plantis per-
ennibus, æstatem solam sub
dio agere aptis, hinc in
ollis crescentibus.
QQ. Arboreta.
RR. Plantæ oleraceæ.
SS. Pergula cameraria.
TT. Lignile.
UU. Plantæ aquaticæ.
V. Seminarium.
X. Transitus ad Hortum
Casareum. Belvedere.
Y. Edicula æstiva.



1. 2. 3. 4. 5. 6. 12. 18. 24. 30.
Scala 30 Orgyiarum.

T. i.




IRIS

PUMILA

IRIS

GRAMINEA





IRIS SIBIRICA

IRIS

SPURIA





IRIS

VARIEGATA



ANASTATICA

SYRIACA

LITHRUM VIRGATUM



T. 8.


SEDUM

ATRATUM



PRENANÆS

VIMINEA



ALLIUM MULTIBULBOSUM





ARABIS TURRITA



SEMPERVIVUM

HIRTUM

T. 43.



SOLDANELLA ALPINA



LITHOSPERMUM

PURPUREO-

= COERULEUM



PENCEDANUM

SILAUS



SELINUM - CARVI

FOLIA LIN

NAI



LYCOPERDON CANCELLATUM



CARDUUS

MOLLIS

T. 19.



VIOLA MIRABILIS

T. 20.



CYTISUS SUPINUS



CYTISUS AUSTRIACUS



ERYSIMUM REPAN = DUM.



ERYSIMUM

CHEIRANTHOIDES



NEPETA

NUDA



PAPAVER

DUBIUM



MELITTIS

MELISSOPHYLLUM,

T. 27.



CARDAMINE TRIFOLIA



PIMPINELLA PUMILA.



TRAGOPOGON

MAIOR



LORANTHUS EUROPEUS



LINUM HIRSUTUM



ERICA, CARNEA



CYTISUS CAPITATUS



VICIA PANNONICA



SCORZONERA

PURPUREA



SCORZONERA

HUMILIS

T. 37.



ALYSSUM MONTANUM



ASTRAGALUS ONOBRICHIS



OROBUS PANNONICUS



TRIFOLIUM

OCHROLEUCUM,



AGARICUS PSEUDOBOLETUS



CARDUUS CANUS



CARDUUS CANUS



ADONIS APENNIA



ORCHIS PALLENS



SCANDIX

INFESTA



RIBES

ALPINUM

T. 48.



RANUNCULUS FALCATUS



EUONYMUS, VERRUCOSUS



ROSA RUBIGINOSA



ASTRAGALUS

PILOSUS

T. 52.



DIANTHUS ALPINUS



RHAMNUS SAXATILIS



CAUCALIS GRANDIFLORA



T. 56.



PHELLANDRIUM MUTELLINA



DIGITALIS

OCHROLEUCA

T. 58.



ANTIRRHINUM ALPINUM



VERONICA URTICÆFOLIA





VERONICA, PSEUDOCHAMÆDRIS



HERACLEUM AUSTRIACUM



ATHAMANTA *CRETENSIS*



CHIEROPHYLLUM BULBOSUM



CHÆROPHYLLUM AUREUM



CHÆROPHYL LUM TEMULUM



SIUM, LATIFOLIUM



SIUM ANGUSTIFOLIUM



ATHAMANTA
OREOSOLINUM



ATHAMANTA CERVARIA



PEUCE DANUM, ALSATICUM





SELINUM CARVIFOLIA A. CHABRÉI



ERYSIMUM HIERACIFOLIUM



CHEIRANTHUS, ERYSIMOIDES



CHEIRANTHUS * **ALPINUS**

T. 76.



ACHILLÆA CLAVENNÆ

T. 77.



ACHILLÆA ATRATA



BETONICA ALOPECUROS.



SENECIO ABROTANIFOLIUS

T. 80.



GALIUM AUSTRIACUM



GALIUM

GLAUCUM



AGARICUS ALLIACEUS



PAPAVER ALPINUM

T. 84.



SATYRIUM *EPIPOGIUM*



ANEMONE ALPINA

T. 86.



GNAPHALIUM LEONTOPADIUM

T. 87.



HIERACIUM VILLOSUM

T. 88.



ASTER ALPINUS



CARDIUS

DEFLORATUS



CARDUUS

TARTARICUS



CARDUUS RIVULARIS



ARNICA


DORONICUM



LEONTODON ALPINUM



GALIUM ROTUNDFOLIUM



CORONILLA **CORONATA,**

T. 96.



SILENE ALPESTRIS

T. 97.



THYMUS ALPINUS



RHODODENDRON, HIRSUTUM



ARTEMISIA PONTICA



ARTEMISIA AUSTRIACA,

